


Ladislaus et Josephus
Comites Michałowski
Dobrzechów.

JLLUSTRES
UMBRÆ,
ID EST
PRINCIPES RELIGIONUM
PATRIARCHÆ
Et
RELIGIOSI ORDINES
Historico-Elogiari cultu
Ad Humaniorum, & Sacrarum Panegyrum
Lucem
EXPOSITÆ,
à P. CASIMIRO WIERUSZEWSKI Soc: JESU.

Anno, quo Visitavit nos Oriens ex alto
MDCCXIX.

****

Typis Clari Collegii Posnaniensis Soc: JESV.


vit ante Paradisum ad custodiendam viam
Gen. 3
Derpowicz fecit.

ETYMON SCHEMATIS.

Quæ Paradisiacis nunc imminet Ascia valvis:
Non vetat hæc aditus O*! Paradise Tuos;*
At Ligni tamen illa Viam, Vitæq; *tuetur,*
Fors nec Adam exisset, si cohiberet iter.
Priscus fortè nequit quòd si Paradisus adiri,
Ascia Diva vales ædificare novum.

JLLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO
DOMINO
D. PETRO
Comiti in Czekarzewice
TARŁO
DEI & Apoſtolicæ ſedis gratiâ
EPISCOPO CLAUDIOPOLITANO, NOMINATO LIVONIÆ,
Suffraganeo, Præpoſito Cathedrali, Vicario in Spiritualibus, & Officiali Generali Poſnanienſi,
ABBATI
PARADISIENSI.

OLim Antiquitas in Elyſium, in Tuum ego *Paradiſum* Illuſtres induco Umbras, Abbas Illuſtriſſime.

En ut *Abbatem* ſpecialiùs prima hac
periodo compellavi Te; majorem Tui
partem detraxi Tibi: Epiſcopum ſup-
preſsi Livoniæ: *SENATOREM* intra me
abſcondi: *SVFFRAGANEVM, PRÆPOSI-*
TVM, OFFICIALEM in concha clauſi: tot
injurius forſan Honoribus, cùm uni ſtu-
dioſus. Sed eadem eſt in Te Mecænas
Liberaliſſime Honorū concordia, quæ
in cæleſti Paradiſo Divos habet: mi-
nor Dignitas majori non invidet: cohæ-
rent invicem, & ſe reciprocant: uni-
us altitudo eſt ſtatura alterius. Ab
ipſis etiam Divis, quorum elogiis Te
laudo, & quorum Tu elogium es, ab
illis (inquam) monitus ſum, ne Ti-
bi eos darem, ut Præſuli, ut Senatori,
ut aliis Titulis eminenti: Religioſas
amant umbras vel pullati atramentos
Tuum volunt Paradiſum, qualem in

cælis

cælis habent, cumq; major pars horum, quos liber claudit, a Præsule, & Senatore exempti sint, in Abbate Ordinum suorum perfectionem, & omnem Religiosarum Virtutum Hierarchiam ambiunt, & tenent.

Sed iterum ambo in periculum incidimus, Tu Patronus, Elogiastes ego: De Te certant Religiosi Ordines, dum unus Te invidet alteri, majestatemq; Tuam distrahunt, ut habeant integram: me exagitant Umbræ, cuinam Lucem Tuam magis imprimam, & ne dividam. Atrox in prælo fervet prælium, & incruentum, innocens duellum, & ferè tragicum, immanis inter togatos exercitus pugna, sed ab utrinq; cælo, & Tibi Triumphalis. Eæ Religiones, quæ magis canuerũt, Antiquitatem, suam armant, ut Antiqui-

Religionum Antiquitas Trałoniæ Domûs Antiquitati Supplex.

tatem Tarłoniæ Domûs in ſpolio habeant: ſed cùm illam ſuperare non poſſunt, invitant & orant, uti me audiviſſe memini;

Noſtræ Rugæ Starzas, Starzios, & Strazones vendicant: ætas parem attrahit ætatem, & agglutinat: Tarłonius tot ſæculorum Senatus Religioſo debetur ſenio. Æviterna hæc magis familia, quàm vetuſta: jam tunc illa floruit, cum mundus eſſet Iuvenis; jam ſæcula numeravit, cùm Sol adhuc puer daret tempora. Neſcit Annales ſuos, quando creverit; jam literis digna egit, cùm literæ in nutibus tantùm eſſent vivis; vel tunc fatigâſſet Hiſtoricos, cùm Hiſtorias memoria ſervabat, non libri. Invenit eos Advena in Sauromatiam Lechus, jam Cives Lechiæ; fundârunt cum Lecho Regnum, ut ſuccederent; ſucceſſerunt

& Lecho, & Regno, cùm inter duodecim Palatinos primi Lechiam gubernârunt; in Michàéle poſtmodum Korybuto, & Ioanne III. Regibus conſanguineis, eandem coronârunt. Vt in plenam lucem emerſit Polonia primi Catechumenam baptizarunt, ſimul primi Baptiſmatis miniſtri, & Patrini primi. Primus è Toporeis Stephanus idola in Polonia lapidavit; Primus idololatriæ Everſor, Apoſtolus Sarmatarum primus, forſan Polonæ Eccleſiæ Lapis primus. Ille Religioſis Ordinibus Sarmatiam aperuit, dum fana clauſit: Diœceſes fundavit pedo, quod geſſit; inter Archiepiſcopos Gneſnenſes primus & talis ferè totius Poloniæ Parochus, qualis fuit Petrus dum Romam primo anno venit.

Amplius tam antiquam Domum per Augustas trabes non divido: quæcunq; viguit vetustissima Sarmatarum Familia, Tarłoniæ vel filiafamilias est, vel neptis: Nullus senex Honor annosiorem se hac stirpe recordatus: Nulla anus Fortuna luventam Tarłonum meminit. Imò quæcunq; Sæcularia Nomina intrà sola perennant cæla, vel in mortuis obrigue runt statuis, quotidie novus spirant Senatus in Tarłonibus; vividæ sunt Purpuræ, non extinctæ: bulliens sanguis, non pallidus. MAGNI illi Comites, quos dum nomino, mediam partem cæli evoco: aliquot sæculorum Poloniam expergefacio: innumerabiles Titulos ad vitam excito: Magni inquam illi Comites in Panigrod Presinia, Luknia, in Xiazne,

in

in Pilce , aurea ſunt adhuc manus Aſciæ: Vivam diem in venis Tarło-num habent: adhuc regunt Diœce-ſes Epiſcopi: Throno aſſident Regio Satrapæ: Iura dant Palatinatibus Vi-ce - Reges. En & antiquata jam vo-cabula Palatini & Caſtellani Cracovi-enſes, & Sandomirienſes Zegotæ, No-vagii, Ottones, Zaklikæ, Setegi, ſeu Sieciechi, Zbilutæ, & Sexcenti Hæc (inquam) Æternæ famæ Vo-cabula, ſunt adhuc in Tarłonibus claſ-ſicæ Panegyres, vetus Hiſtoria, & recentes Annuæ: Multorum Sæculo-rum Faſti, & præſens Diarium.

Tot conſumptæ ſitu Imagines in Abbate noſtro, integrum habent vul-tum, & vultus ingentium Avorum ho-diernum eſt atrium: Ex tam magnis Cineribus hic Phænix Heroum còá-

luit ex hac præterita æternitate collectæ ſunt ingentes in Præſulem particulæ, annorumq; ejus cenſentur inſtantia, quæ fuerunt Atavorum ſæcula. Antiquitas igitur Noſtra Familiæ canitiem, & Canum in Tarłone ſanguinem exigit; citra injuriam negari iis non poteſt *Proprius*, quibus decrepiti Temporis annutu eſt COÆTANEUS.

Ut Religionum Antiquitas vota finiit, pænè ſola Te rapuit Mecænas Illuſtriſſime. Eæ Virtutibus Tuis & Sanguini inſunt rugæ, ut videaris Avorum Tuorum Proavus, ſeneſcentis Patriæ Proto-Pater, ſimultaneum mille annorum Decus. Sed Infulatus Sacrorum Ordinum Honor ut ſuſpexit Te, innumero circumclauſit pedo.

Diva

Infulatus Religionum Honor Tarłoniæ Domui Supplex

Diva (inquit) Tarłonum Domus, Sacri Honoris Templum est. Nullam habet Polona Ecclesia Diœcesim, quam Tarłones non rexerint: nullam ætatem vixit, quam non consecrârint Episcopi: nullam in Sacris Regni Capitulis censuit Dignitatem, quam Prælati non ornârint. Si vel nuda proferam Nomina, vel nudus Nominum catalogus fortè æquaret Tomos Baronii: Soli Tarłones Ecclesiasticam sæculorum implerent Historiam: Si conviverent simul Antistites, conficerent Universale mundi Concilium. Archi-Præsuleas Cruces, Peda & Cathedras si memorem, numerum fugit multitudo, & confundit, & ea duntaxat veniunt sub calculum, ubi timet summa defectum, vel excessum. Archi-&-Diœceses in Ste-

phano Toporeo Gnesnensem: in Paulo Tarłone Leopoliensem: in Bartholomæo Posnaniensem: in Stanislao Premisliensem: In Ioanne vel nunc Kijoviensẽ, in Zbilutis, Starzis, & Strazonibus omnes ferè Ecclesias in Polonia gubernâsti Præsul Sacerrime: mutata sunt sæpius sub Infulis Capita, non virtutes Infulatæ: Rediit multoties Honor tanquam domesticus; unus successit alteri tanquam meritis Hæreditarius. Succedes & Tu Tuis Majoribus Major: sunt in Romano Senatu Purpuræ Tuorum jã Consanguineorum usu attritæ: Sunt in Polonia Mitræ per Tuos Affines elevatæ : Debet Tarłonibus Roma purpuras, quia Romanam iis debet Poloniam, & se Romam in Polonia conservatam. Addes & Sacras Prosapiæ Mitras: Præterquàm quòd singulæ Sanguinis guttæ, jam in Te sint

coro-

coronatæ, & mitratæ: Etiam Virtus, jam Tua Tibi Corona eſt, & mitra, dum principem facit animum, pretioſam illam Divi Honoris appendicem pendet. Agnovit Clemes XI. in Te Petro Orthodoxam poſſe niti fidem; ut rudera Livoniæ, & Piltinenſis Eccleſiæ reædifices, Te illi Eccleſiæ alteram velut petram deſtinat & Baſim. Sylveſtrem illic agrum purgabit, Aſcia putabit vineam, & ſepem fabrefaciet: Reddet Præſul Petrus Petro Livoniam, dum accipiet ut Suam. Iam illic Szembeciæ Paradiſum implantârunt Roſæ: Anteceſſit Illuſtriſſimus Chriſtophorus a Słupow Szembek nuper per Livoniam Epiſcopus, & Apoſtolus: Si quæ vepreta reſtant, evelles radicitùs: Si rebellis repullulet campus, cædes

cædes: quod si ille Ecclesiam erexit in Livonia, Tu coronam fabricæ impones, & claudes. Cùm tamen a Claudiopolitana sede illuc Te Dignitas evocat, quamvis Livonia Terminus est Poloniæ, non est Honoris Tui meta. Rogabunt Te Diœceses aliæ, Si renues? cogent: consentiet Roma, & ad Cathedras invitabit, & si tot reges Diœceses, quot præsuleæ Virtutes exigũt, extendes Te Pontificem ultra Poloniam, & Europam, non tamen ultra Te ipsum. Hoc argumento patere Te Infulatis Religionib9 Proprium Antistes Reverendissime, collectis in cumulum Infulis pedes Tuos impediunt, & lambunt; *Est cur inter Summos Ecclesiæ Patres Statuam habeas.*

Vt hæc Pius Honor disseruit, Sanctitas Religionum audiit, & invidit.

Divi

Divi, quos (inquit) aſtris intuli, Præſulis vultu incederent, ſi iterum in viam deſcenderent: ſimillimos mores cæleſtes coronant radii : talibus ferè oculis, & tam compoſitis videtur in cælo DEUS. Aliquid beatum, & æternum ſpirat Abbas hic : dum aras tangit meretur ; omnibus amabilis, etiam invidis: Cleri & Religioſorum Ordinum Pater, & iſtud ex communi Proverbio nomen illius eſt Proprium ; vel cum ex officio judicat, Patrem judici miſcet : Sola condemnat vitia non homines : infundit oleum vulneribus, non vulnera ſanat vulnere. Quid illo modeſtius ? quid apertius ? Omnibus obvius, & nulli clauſus: ingens enim vir obſerari nequit, & ſub clave premi : Patet ſingulis etiam importunis : ad limen & ex.

tra, occurrit & obviat etiam miseris: Demissus ultra quàm fortè Præsuli expedit; civilis supra quàm Senator debeat. Affabilis ut Tarłoni convenit. Pænè visibiles apparent in moribus ejus, Divi qui Tarłonium sanguinem aris admovent. Stanislaus Kostka æternam illi lucẽ communicat, ille terrestrem STANISLAO: Iuvenis grandescit in Præsule, Præsul in Divo Iu vene juvenescit. Ambo unius arboris rami, ambo ad eandem autumni gloriam nati.

Necdum orationem Sanctitas Religionum finiit, en ecce sacrorum Ordinum SAPIENTIA docto tumultu orantem interturbat, & Tecum Præsul lauream rapere nititur. Infinitos SENATORES resuscitat, velut Divos scientiarum Præsides. Ultra viginti recentioris ævi Palatinos

Lublinenses & Sandomirienses: Plures Regni Cancellarios: Castellanos ferè hodiernos Radomiensem, Wislicensem, Sandecensem, Belzensem Zawichostensem inducit, & enumerat:

Isti sunt (inquit) vivum Poloniæ Athenæum: Infallibilia Boni publici Oracula: Tota TARŁONVM Domus est alterum Sarmatici Senatûs TVSCVLVM: Vniversalis: consiliorum Academiæ. ADAMVS TARŁO Palatinus Lublinensis, id est imperterritæ priscæ Liberratis Polonæ Lingua, ea nuper Varsaviæ et ubiq; disseruit, acsi illi tota Respublica (non ista quidem calamitosa, sed qualis olim liberè Potentibus dominata est) os suum commodaret. Quid Præfectum Culinæ Regni, & SUB-

Sapientia Religionum Tarłoniæ Domui Supplex.

c 2 DA-

DAPIFERVM Magni Ducatûs Litvaniæ, STANISLAVM, & IOANNEM memoro? Audiit eos nuper Grodnæ, & horum effata ut publicam legem censuit. Primus Vniversale illud Concilium esse Catholicum studuit, idcirco collegam Legatum à publico consessu exturbandum censuit, quia Hæreticum, hinc veræ Senator Ecclesiæ, dū Orthodoxæ Orator Patriæ. In ipsomet Præsule omnes Scientiæ Musæum repererunt. In Collegio Societatis IESV Posnaniensi literis Iuventam imbuit, & se uno Literas coronavit. Habent in illo Scientiæ lauream, & Collegium effato IOANNIS III. Poloniarum Regis Clarum, habet Gloriæ, & Gratiæ meridiem. ut Roma postmodum audivit Theologum, Caput illud mundi, approbavit

in-

ingenium æquè latum, ut mundus est: æquè altum, & sublime, ut est cælum. Penetravit Mysteria fidei, ac si ea viderit oculis, quæ lumine videntur Gloriæ. Discidit inextricabilium difficultatum nodos, Asciam velut clauderet cranio: sic ei patuêre inaccessibilia revelati DEI adita, ac si Petri etiam istius ingenium haberet claves cæli. Talem, ac tam eruditum Te Præsul, Religionum Triumphalis Sapientia, concludit esse proprium: nec potes negari laureatis precibus, nisi cum Tuæ sapientiæ injuria Te neges Doctorum laureis.

Sed & partiri Tecum Triumphos decreverunt eæ Religiones, quæ sanguinem cælo miscuerunt, & expugnatis per martyria mortibus immortalem vivunt famam. Sanctior ille as-

Martyr Religionum Exercitus Tarłoniæ Domui supplex.

surgit Exercitus, & forsan vincet: Vna (inquit) TARŁONUM, & sacri Martis est Domus: hic quovis ævo nascuntur Herôés, & educantur. Multoties Sieciechi Starzones & Toporei. Generales Poloni Exercitus Duces, clavâ sustentârunt Religionem, Patriam, & cælum, & quod hactenus Asciæ manubrium est, Clava est. Sine TARŁONIBUS nullus Poloniarum Rex pro aris, & focis bellum hosti intulit, nullus sine illis triumphaliter finiit. Omnes Sarmatiæ victorias mercati sunt vulneribus, aut mortibus. Si tumulos Orientis, Vkrainæ, Moschoviæ, Silesiæ, Moraviæ, Bohemiæ, Saxoniæ, Pomeraniæ, Cassubiæ, Prussiæ, si (inquam) tumulos, id est priscæ Gloriæ fastigia disjicias, ossa invenies TARŁO-

NIA

NIA, quæ aliquid Heroicum adhuc ſpirant, & ſunt ingentium Triumphorũ fragmina Vnde omnium ferè Palatinatuum fuere TARŁONES Aquiliferi: Omnium in Polonia arcium Capitanealiũ, Caſtrorũ Præfecti. Omniũ ferè Præliorum Excubiæ: Omnium Conflictuum primipilaris Acies: & Omnium Laurearum prima Frons Tam fortium virorum propago Præſul, pænè inſtar animæ habet Fortitudinem: Dum non licet per glorioſum ſanguinem, per glorioſos ſudores navigat ad portum martyrii: & ni fallar, Pius Sudor & ſanguis Pius colore ſolo diſcrepant, non præmio: uterq; eſt venarum, & cordis Holocauſtum, quod Animus Sacerdos DEO immolat. Tam validus ille occurrit Hæreſi, ut zeloſiſſimo Maioris Poloniæ Antiſtiti ſic Sufra-

getur, ut PETRO Suffragati sunt in reficiendis retibus, & captura piscium Condiscipuli ad mare Tiberiados.

Venisses jam in partem cruentæ Gloriæ Antistes Gloriosissime, sed eæ Religiones quæ mendicant, Divam adhuc Paupertatem expediunt, ut Te apud Te impetret,

Diva Religionum Paupertas Tarłoniæ Domui Supplex.

Semper (ait) TARŁONES magis sunt Pauperum proprii, quàm sui. Fortunam habent potiùs miserorum Ancillam, quàm ILLVSTRISSIMÆ Familiæ Dominam : omni ævo divites opibus in egenos erogatis, & erogandis. Videntur thesauros possedisse velut a Diva Paupertate commodatos, cum censu pauperibus restituunt, cùm donant. Templa, Aræ,

Xeno

Xenodochia TARŁONIÆ sunt munificentiæ munimenta : & eorum Munificentia nullibi majestuosiùs habitat, quàm dum sacræ Paupertati inquilina commanet. Sieciechus TARŁONVM Abavus Sieciechoviam DEO consecravit, DEVMq; Sieciechoviæ, & stirpi fecit Hæreditarium. Succesores habēt Atavorum liberales divitias, & manus; illi sufficiunt ne Religiosa Indigentia egeat, ne fames esuriat , ne nostra jejunent Iejunia. Vniversam experiar Liberalem Poloniam, dum Præsulem intra Beneficia numerabo : trahet ad manticæ Subsidia Purpuras, illos censet Abbas hic consanguineos, qui ingentem fortunam omni sæculo in potestate habuerunt. Ii sunt Duces Ostrogii, Wisniowiecii, Zbarazii, Kle-

d vanii,

vanii, Sobiescii, Lesczynii, Sieniavii, Potoccii, Sapiehæ, Chodkiewicii, Zborowii, Daniełowicii, Firleii, Ossolinii, Koricinscii, Comites Pileccii, Włostovii Comites in Xiazne, Tęczynii, Oginscii, Szembecii, Szafranscii, Przyemscii, Działyńscii, Wielopolscii, Chomętowscii, Łosii, Tarnowscii, Prazmowscii Ligęzæ, Zalewscii, Brezæ, Pokowscii, Cetneri, Lanckoronii, Mielzynii, Poninscii, Bobrowscii, Lubowieccii.

Per Illustrissimum Patrem Tuum Palatinum Smolenscensem tot Poloniæ aurea Sæcula: quin per eundem Gallias in Tremoniis, Bavariam in Lescheniis, Nisniam in Gorlisiis, & Mutischeniis, totamq; ferè Europam: tandem per Illustrisimam Matrem de Bnin Opaleniam universum Sarma-

tiæ

tiæ Regnum colligis Præſul, & Religioſæ Paupertati obligas. Ex tam nemoroſa Conſãguinitatis Arbore beatiorem carpam autumnum, & vivam TARŁONIBVS.

Pluribus rogâſſet adhuc Te Abbas Munificentiſſime Diva Pauperies, ſed Omnium ſimul pulchro tumultu Ordinum vox inſonuit, ut præter Tuum Paradiſum, divino pectore recõdas ſingulos, veliſq; cenſeri, ANTIQUISSIMARUM PATER, INFULATARUM APEX, SANCTARUM ARA, SAPIENTUM STOA, tandem MENDICANTIUM RELIGIONUM ASYLUM; ac ultimo JLLUSTRIUM UMBRARUM quas JLLUSTRISSIMO NOMINI addiicio, DIES. Regerent

Divi radios, quos recipiunt, & facient Parelia: ego, quod unicum valeo æternam Tibi apud Posteros inscribo memoriam, et posterorum memoria est sola ac immortalis ingentiũ Virorum anima.

Excellentissimæ Illustrissimæ Reverendissimæ.

Dominationis Vestræ.

Celsissimæ

Excellentissimæ Illustrissimæ Familiæ

Tuæ.

Devotissimus Seruus

Casimirus Wieruszewski. Soc: JESU.

ELOGIUM I.
PAULUS
Primus Eremita Palmæ indutus foliis.

TRiumphale genus elogii:
Ubi Vir laudatur integer trophæum,
Integer laurea.
Prima eſt Cænobiorum Planta Paulus:
Primus Eremitarum Protoplaſtes;
Et quidem primo Parente Adamo triumphalior,
Palmâ uſus pro veſtimento, non ficu. (*a*)
Quatenus ſingulis membrorum artubus mundũ vicerat,
Singulis membrorum artubus palmam detulit:
Nunquam exutus victoriam,
Quia ſemper invictus habitualiter.
Bene video, (*b*)
Cùm homines cerno tanquã arbores ambulantes:

(a) Alluditur ad illud *Conſuerunt folia ficûs & fecerunt perizomata* Geneſ. 3.

(b) *Video homines tanquam arbores ambulantes.* Matt. 8.

Vel unus in Thebaide Paulus,
Vivus ambulat mundi Paradisus.
Facturus diviniores ex quolibet ligno Mercurios,
Prius se fecit arboreum, & quasi, ligneum:
De se ligneo vel lacerum restauraturus orbem,
Vel in orbe ligneum ædificaturus cælum,
Architectus, & tectum DEO habitabile.
Primus hic flos eremi est. Sponsa Christi,
Assimilatur palmæ, ut ad staturam Gigantis
Sponsi accresceret:
Eidem sylvam in corpore explicuit,
Sic soli DEO solitarius cohabitaret animus.
Quandam intra artus plantavit eremum,
Et fecit amantibus cæli æstibus refrigerium.

Cant. 7.

Sciverint alii:
Hominem esse folium, quod vento rapitur:
Vel auræ afflatu abripi in cælum Paulus potuit,
Nullis telluri inhærens radicibus,
Exinde nullam securim metuens.
Si Ales amor nidificare vellet,
Nidificaret inter Pauli folia.
Unde Paulus extitit Eremitarum nidus,
Et una palmæ arbor,
Omnium Religionum patuit prima Domus.
Poloni induerunt olim caduceatorem frondibus,

Iob. 13.

Et obsessæ urbi legatum in ligno transmiserunt:
Loquax truncus vigorem instillavit civium ani-
Ne obsidionalem porrigerent hosti herbam :(mis
Viva est epistola, & vivus codex Paulus :
Asseverat in Paulo tot foliis Numen;
Invictos esse Heroas, quos DEUS protegit,
Quamvis tegit folium.

(a) *Dum Smoleńsci um obsideretur à Moschorum exercitu.* Polona Histor.

ELOGIUM II.
MAGNUS ANTONIUS.

MAgnus in orbe Macedo, cui orbis parvus erat:
Par Macedoni Pompeius, quia magnus,
Etsi coram Julio exiguus :
Magnorum appendix Carolus itidem Magnus:
E concussi mundi ruderibus hunc metire hominem.
Sic fuit sine æmulo nulla magnitudo.
Abbas Antonius hìc patuit magnus,
Ubi nullus esse Magnus potuit.
In vastissima solitudine magnitudinem explicuit,

 Aliàs

Aliàs Virum Regna, & urbes non caperent,
Altitudinem nonnisì cælum valuit terminare.
Immensam ingressus solitudinem, eandem unus adimplevit:
Inde in capaciorem campum plures ex inferno hostes elicuit, ut ampliori clade sterneret,
Extra urbes pugnaturus certior victoriæ,
Quia urbes sunt dæmonum sæpiùs propugnacula:
Et homines inferorum non raró auxiliarii,
Hos propugnant, à quibus oppugnantur,
Hostibus suis amici, amicis hostes.
Postquam in aperto sæpius campo lauream dæmon perdidit, & seipsum,
Occultis eam viis dolosus quæsiit, & se perdidit:
Laqueos toto explicuit orbe venator, & canis;
Jllos capturus homines, qui essent feræ, non homines:
Brutalia enim tantùm vitia, diaboli patiuntur retia.
Sed Antonio frustra dæmon objicit rudentes illos,

Qui-

Quibus detractus est cælo, & ligátus, ne nimiùm serviat:
Nobilis leo Eremicola in cassibus cassum ridet periculum:
Extra mundum, vel in profundiorem sylvam,
Vel, si locus in terris tutus deerit, in cælum fugiet.

ELOGIUM III.
HILARION Abbas.

ÆMulus Magistro discipulus Hilarion Antonio:
Professorem æquavit, cùm duos menses disceret.
Si annum convixissent invicem duæ Scholæ,
Dubium foret uter alterum docuerit.
Secessit proinde ab Antonio in Ponti solitudinem,
Duo primæ magnitudinis sidera distare debent,
Ne lux lucem absorbeat, cum injuria alterutrius.
Olfactu fæces dignovit peccatorum ex antiperistasi,

Quia omnium virtutum odorem halaverat:
Et viri Apostolici canes sunt venatici,
Unumquodq; brutale vitium hominem in feram
replicat:
Plures vivunt Hircocervi Evangelicæ veritati
contraoppositi:
Innumeri urso-lupi innocentium gregum Tyranni:
Non unus Leo-Tygris, solitudinem facit dum
non solus est.
Sentiri proinde possunt ab iis, qui omnes sensus
habent integros.
Infinitos Hilarion animavit mortuos mundo
mortuus:
Citra Philosophiæ scandalum, unius viri anima
Plurium cadaverum fuit vita.
Redibant à Cælo manes libentiùs, nec cœlum
amisère.
Hilarion fuit beata umbrarum lux:
Censebaturq; frui DEO, qui Hilarione concive
usus est.
Dœmonas è corporibus obsessis instygem pepulit,

Dæmonum malleus
Humanæ felicitatis officina,

Deniq; Hilarion omnibus terrigenarum miseriis
Fecit Hilaria.

ELOGIUM IV.
SIMEON STILITA.

SUi victor Simeon Stilita,
In triginta cubitorum colosso
Triumphalis assurrexit Christo obeliscus.
Finxerint Atlantem fabulæ, & nugæ cælum sustentaverint:
Hoc fulcro nixi perennarent poli,
Si æternùm staret Simeon,
Verior ætheris lacertus,
Duraturi columna cæli.
O invictum Christi militem in specula expositũ!
De statione recessit nunquam, & salutem in pedibus quæsiit:
Semper vigil, & mundo perpetuus excubitor:
A longè venientia fata vidit, & ex alto despexit.
Jam mundi, & carnis domitor
Tertium provocavit hostem, & in campum obviavit,

In

In àére àéreas exsibilaturus potestates.

Alluditur ad illud dictum: *Imperatorem stantem oportet mori.*

Novus hic Eremitarum Imperator
Stando vixit, stando mortuus.

Vix hominem existima in homine:
Humanam excessit staturam, & statum:
Nec viator putari debet,
Qui viam cucurrit nullam,
Idcircò nec aberravit unquam.
Vel in termino consistens contendebat Athletes ad bravium,
Sine motu velox,
Sine passu festinus,
Stando cucurrit ad requiem,
Et stans requievit.
Nulla secuturis impressit vestigia:
Virtus enim tanta imitationem ridet temerariam!
Quam tamen trivit Simeon, in àére viam co gnoverunt aliqui,
Dum in arbore velut insensibiles trunci,
Et Simeonis vixerunt surculi.

Alluditur ad illud cũ exaltatus fuero à terra omni tra

Exaltatꝰà terra Christoformis vir paucos traxerat,
Aliàs virtus popularis censeretur, quæ magna paucorum esse solet.
Unde inter Religionum Principes Phænix est Stilites:

Unde

In uno & altero sodali, fundavit miraculorum Provinciam, non hominum.

trahant. Joan. 12.

Quanquam veriùs est Religionis illius Patriarcha,
Qualis inter Religiosos viget Angelos;
A conspectu Domini ne latum unguem discedunt cælites,
Eidem assistunt semper, & nunquam assident,
A situ fideles servi, & ad nutum prompti.
Gaude Stilites æmulam Angelis vivis vitam,
Æterna sit necesse, & Beata,
Quæ non est transitoria.

ELOGIUM V.
BASILIUS MAGNUS.

Vita Basilii vivum fuit Orienti Evangelium; mores viri autumes œcumenicum Diœcesibus concilium:
Acta Apostolorum, & Basilii facta
Discrepabant rugoso tempore, vix naturâ.
Apostoli expugnârunt Cæsares Ethnicos cæsi,

Hic triumphavit Hæreticos illæsus:
Et venenosiores hi, quamvìs ferociores illi:
Leones fuerunt Domitiani & Nerones:
Heterodoxi Cæsares genimina viperarum,
Illi membra, hi Cor Matris Ecclesiæ lacerârunt:
Et magìs sunt noxia mala, quæ domestica:
Periculosius illud ulcus, quod intra sævit viscera.
Dissimulavit Julianus Apostata Basilium,
Qui DEUM conculcaverat, Divinum reveritus est virum.
Valens Hæreticus in eundem invaluit:
Decrevit Basilio exilium,
Ut cum illo veram Ecclesiam exilio amandaret.
Sed humanior Cæsaris, calamus quàm animus:
Rebellavit Imperatoriæ manui penna:
Eò ad proscriptionem tardior, quò mens proscribentis levior.
Ter atramentum denegavit, ne niveum hominem denigraret.
Opitulatur Divina Trinitas propugnatori Trinitatis:
Declarat, posse hos vel calamo protegi alieno,
Quos sub suis misericordiæ alis continet.
Sella pariter contremuit, & portentum proscriptionis expavit.

Medita-

Meditatum Valentis ſcelus excutere voluit,
Aut ſaltem horrorem ſceleris Valenti incutere:
Simul cadendum protendens Imperium,
Si fulcrum Imperii Baſilius cederet Imperio.
Tandem dextra nervis ſoluta retraxit impium à propoſito:
Nempe ipſe ſibi homo diſſidet, quidquid noxium molitur homini;
Impotentesq; animi auſus, imbecillitas corporis ſequitur.
Cæpit dolere manu Cæſar, & in ſui parte inchoavit pænitentiam:
Deterritus à palmari crimine, ægriore palma,
Agnovit ægrè avelli poſſe Baſilium ab Imperio,
Ut manum à corpore.
Imperatoriæ chiromantia dextræ explicuit,
Quàm ſiniſtrum foret Baſilii exilium.

ELOGIUM VI.
BASILIANA RELIGIO.

QUæ Universalis est in Oriente, & publica,
Privata fuit Basilii Religio, & propria:
Unus vir illud Christi jugum portavit & ex-
pli cuit,
Quo regna cænobiis innecteret,
In Provincias Basilium indueret,
Mundum ferè totum in Monachum captiva-
ret.
Plenæ solitudines, pagi, oppida, urbes, Basilii as-
seclis, & necdum Basilium comprehendunt.
Tam magnus est Basilius, ut excedat suum or-
dinem,
Numerosissimus ordo Orientem.
Nullus illic Episcopus, qui priùs non Basilianæ
Eremi Discipulus:
Qui regant Diœceses, regulam addiscunt cæ-
nobii:
Et regula hæc Canon est Orientalis Ecclesiæ:
Orientalia Templa Basiliani cænobii sunt paries
vel fragmen:

Cænobia ſunt Diœceſium incunabula:
Clauſtra ſunt Epiſcoporum tirocinia:
Et è Religioſis ſunt Epiſcopi, ex Epiſcopis Religioſi.
Poſtquam inter Sanctos abiit Baſilius,
Nullus ferè Sanctus in oriente fulſerat, qui radium à Baſilio non ſegeret.
Unde Familia Baſilii, tot Divos numerat, quot Græcum explicat monologium:
Et in Græcorum monologio tot adorantur Divi,
Quot veriores fuerunt Baſilitæ.

ELOGIUM VII.
AUGUSTINUS FUNDATOR.
Eremitarum Anno Christi CCCLXXXVIII.

LAudare Augustinum qui vellet,
Parva scrobe Oceanum complecti,
Cælum folio implicare præsumeret.
Vir ingenio infinitus, nulla periodo ambiri potest:
Detraxit multùm Augustino, qui totum laudavit Augustinum.
Ingentem animam comprehendere se uno non potuit:
Divisit illam in plures Religionum familias
Unus virtutum familia.
Canonicorum Regularium, alium Eremitarum condidit ordinem:
Id est gemino Ecclesiam auxit oculo,
Seipsam respiceret uno,
Publicæ saluti prospiceret altero.
Uterq; Ordo tot sapientes numerat,
Quot in Augustini libris folia:
Et libros Augustinus tot edidit,

Clario

Clariores quot Stellæ ſuda nocte fulgurant,
Et noctem opprimunt.
Uterq; Ordo tot Sanctos genuit,
Quot virtutes adorantur Auguſtini;
Et virtutes Auguſtinus tot adorandas exhibuit,
Ut ſi homines ſinguli haberent ſingulas,
Conſecrari poſſet humanum genus univerſum.
Vivunt Auguſtini regulam Religiones aliæ:
Nomine differunt non auctore.
Diverſus eſt Auguſtinus in diverſis, & idem;
Multiplex, & unus,
Diſcretus veſtibus, non moribus.
Quanti erant Apoſtoli, ut ex idololatris Chri-
ſtianos;
Tantus eſt Auguſtinus, ut è Chriſtianis religio-
ſos procrearet,
Ferè omnium Religionum Patriarcha.

ELO-

ELOGIUM VIII.

CAROLUS MAGNUS.

Augustinianorum duos ex Hybernia in Gallias evocavit, qui fundarent Parisiensem, & Papiensem Academias.

Anno Christi DCC. *Beyerlinck*

MAgnus esse Augustini ordo debuit,
Qui Carolo Magno placuit ;
Et si cor Cæsaris impleverat æquale orbi,
Necesse est, quod orbem impleverit æqualem sibi.
Amavit hanc familiam Imperator, & eidem familiaris factus:
Voluit esse unam ex familiis Galliæ, & Galliam illi familiam :
Excoli per eandem studuit ingenia Gallica , ut Galli augustè saperent, si Augustinum scirent:
Jura darent populis, quæ ab Augustinianis discerent:
Ignorarent Hæreses, quas obliterarent illi.
Evocati proinde Augustiniani duo ex Hybernia,

Ut ver, & æstatem inferrent Galliis.
Primam Parisiis nacti sedem, quia agniti scientiarum Reges.
Urbi Galliarum Capiti, Mens illa universi orbis debebatur:
Utq; in posterum regnarent illic literæ;
Nasci debebant, quasi in throno Galliæ.
Commissa tantis hospitibus cura, ut Civem Galliis Minervam redderent;
Fundarent Parisiensem Academias, & Papiensem:
Duo Augustiniani, Academiæ duæ:
Duo fundamenta, & duæ simul constructæ moles:
Duo lapides, & ipsimet duæ omnium artium aulæ.
Agnosce Te literarum Matrem Augustini familia:
Sapientes numera, si potes:
Duo scientiarum Protoplastæ, tot Doctores peperêre;
Quot pœnè atomi in arena literaria,
Quot in erudito orbe libri:
Quot ferè in libris literæ.
Si tuas recensere vellem laureas, & Te in laureis:
Vix Thebaidis deserta tot arbores:
Vix solitudo Ponti tot frondes:

Vix Dodonæ lucus tot folia porrigerent.
Deniq; ſapit per te Gallia, per Galliam orbis;
Tu mundi Magiſtra, & Magiſtrorum velut mundus:
Sorbuit aliquid de tuo mari Sorbona,
Adhuc ſupereſt plenum mare.

ELOGIUM IX.
AUGUSTINUS.
Ordinem Canonicorum Regularium inſtituit
Circa Annum Chriſti CCCXC.

AUguſtinianos Eremitas condidit Auguſtinus Eremita:
Ad littora, Maris Thuſci hæc gemma enatavit:
In centum cellarum ſolitudine inchoatum iſtud Eccleſiæ palatium:
Et Religio quot cellas, tot cæli portas habet.
Auguſtinus jam Epiſcopus conſtituit Ordine Canonicos, dotibus Epiſcopos:
Animum illis, impreſſit, qualem tunc habuit, Pontificium:

(a) Juxta verſus Mantuani: *Vivendi normam inſtituit, memoratur eremum incoluiſſe maris Thuſci prope littora*

Virtu-

Virtutem præſcripſit, qualem coronant inſulæ, *centum Cellarum.*
Mererenturq́; ſinguli eſſe inſulati,
Sed glorioſius eſt mereri infulas, & nolle.
A Canone Canonicos appellavit, quia Diſcipulos habere voluit, ut Canones Eccleſiæ:
Sic infallibilem iis porrexit vivendi normam,
Velut œcumenicæ Sinodi Canon ſancitus foret.
Convixerunt diù Hippone Auguſtino, & in illis vixit Auguſtinus:
Horum manu profligabat Hæreſes, & ſuo ingenio:
Illorum ope tuebatur Eccleſiam, & ſuâ operâ:
Quidquid cogitaverat Auguſtinus Præſul in emolumentum orbi,
Per Canonicos emolumenta executus, & auxit.
Qui ſunt etiam in Polonia, Lateranenſes nuncupantur:
Ii nempe latus Eccleſiæ fulciunt,
In eius latere cor vivunt, & animant,
Pondera ſuſtinent, & ſi quid oneroſum eſt, in humeros transferunt.
Quod ſi de Chriſti latere Eccleſia,
Hi de Eccleſiæ prodierunt:
Vera propago, os de Oſſibus;
Cuſtodiunt maternum latus, ut filii,

Romanæ aulæ Bases.
Qui ſunt in Polonia Cracoviæ, & alibi
Pares iis, qui Romæ in Laterano.
Virtutes ſcientiis, ſcientias virtutibus conjunxêre ut ſorores.
Cum Societatis JESU ſchola ſapiunt, & concordant cum JESU moribus:
Mediam propugnant ſcientiam, ut propriam:
Libertatem tuentur arbitrii, ingeniorum Arbitri:
Nihil docent in libera ſcientia neceſſarium,
Quia de neceſſitate ſunt ſapientes.

ELOGIUM X.

Ordines quadraginta tres militant ſub regulâ

AUGUSTINI.

IMperator Religionum Auguſtinus,
Et ingens Militantis Eccleſiæ triumphus;
Ut plures, quàm duo, Petrum armarent gladii,
Fecit delectum, & electas coſcripſit copias.
Quadraginta tres Ordines ſub Auguſtini militant teſſera:

Lucæ 22. *Ecce duo Gladii.*

Et

Et ſunt quaſi acies ordinata.
Aliqui ferro propugnant Eccleſiam,
Et faciunt ferreum Eccleſiæ præſidium:
Obſiſtunt Barbaris, & Milites ſunt Barbarorum limites:
Prodigi ſanguinis, & mortis avidi:
Animant Chriſtianam Rempubl: ſuis cædibus;
Vivificant vulneribus:
Horum vulnera ſunt fontes integritatis orthodoxæ, & gloriæ:
Sunt acceptæ cicatrices, æterni immortalitatis characteres.

Ex his cenſentur

Ordo Grandimontenſium, Terraconenſium, Cruciferorum, Theutonicorum, Melitenſium Equitum, & ſexcenti.
Magni exercitus, & Divinæ Omnipotentiæ brachia:
Ipſius victoriæ Fratres, & vivæ Chriſtianitatis laureæ.
Per hos tuetur Auguſtinus Hiſpaniam, Germaniam, Italiam, in univerſo terrarum orbe Chriſtum.
Hæc ſunt valla, & animati aggeres,
Ultra quos non exundat colluvies Ethnica:

Hæ fossæ, in quibus stagnat sanguis Barbarus
& pallet.
Alii Ordines minus cruenti, non Marte
Sed bellant Pallade.
Pugnaces cerebro, dum olivâ laureati.
Palmas ex omni campo colligunt fronte, non
manu.
Ex his prodiêre:
Ordo qui redimit captivos à Barbaris,
Et Barbaros captivat Christo:
Ordo, qui prædicat Evangelium,
Et est Vox Dominica Evangelii:
Ordo S. MARIÆ de Mercede, & est lytrum
mundi:
Ordo vallis Scholarum, & est scientiarum cul-
men:
Ordo S. Pauli primi Eremitæ, & est Ecclesiæ
Paradisus:
Ordo Armenorum, & est, in cuius montibus re-
quiescit cymba Petri.
Prætermittit alios ordines præceps pagina,
Quia materiæ nunquam,
Finem Elogii habet ab ingenio.
Quidquid tot familiæ splendoris nactæ,
Radius sunt Augustini, & ille sol:

Si

Si tot familiæ ſoles ſunt,
Erit Auguſtinus magna increatæ lucis particula.

ELOGIUM XI.
Honor Auguſtiniani *Ordinis*.

REgius Auguſtini Ordo Ex-Reges alumnos cenſet:
Summis Majeſtatibus majeſtuoſior,
Quas ſuppreſſit majeſtates, expreſſit:
Altiſſimis Regnorum ſoliis altior,
Quæ calcavit ſolia, iiſdem aſſurrexit.
Serviunt hìc, qui mundo imperabant,
Exuta Dominatione veriùs Domini,
Sub craſſiori filo delicatiùs trabeati;
Nihilq; ſplendidiùs huic familiæ,
Quàm quod illius umbra ſint Reges.
S. Guilellmus Regio Galliarum ſanguine hunc ordinem purpuravit:
Et fecit nigram Auguſtini Togam murici conſanguineam.

S.

S. Honoratus priùs Nicomediæ Regis Frater, tunc honorabilior, dum Augustini Filius.

B. Alphonsus de Borgia olim Dux Gandiæ, postea nec Borgia, nec Dux.

Ducatum abdicavit, & Borgiam, adoptatus Christo, & cælo:

Vixit sub Augustini magisterio Augustinum,

Semper tamen sui memor Borgiæ, & Ducis,

Nullam virtutem voluit, quæ non esset alto affinis generi,

Quæ non esset aliarum virtutum Dux, & Princeps.

Joannes Regius, & nomine & prosapiâ, & integritate Regius.

Bohemi Regis, & Alberti Imperatoris Nepos,

Et Regem & Imperatorem exhibuit, dum exuit.

Augustinianum Professus, ceras Majorum consecravit, dum aris intulit.

Habet & Oromusium, & in Oromusio id est ultra mundum, Augustinus elogia.

Hieronymus de la Croyx Regis Oromusiorum filius, à corona, in cor Crucem Christi transtulit.

Decedere maluit regno, quàm succedere:

Amplexus hunc Ordinem, monstravit Oromusiensi-

siensibus, qua portâ valeat ex Indiis adiri cælum.
Numerat eadem familia viros cælo publicè illatos 92.
Fertilis ager fructum reddidit prope centenarium.
Fæminas albo Beatorum inscripsit Roma 34.
Excessit numerus annos Christi,
Et triginta trium laborem annorum aliqua parte compensavit.
Innumeris, subtractus est Sanctitatis titulus, non oponio:
Non delata Apothéòsis, sed dilata:
Accedunt sensim Altaribus; turmatim, venientibus Altaria non sufficerent.
Ætates singulæ Augustinianos elevabunt è tumulis, ut aras impleant.
At minimè indigent attolli aris per alium,
Quos sua virtus sideribus intulit.

ELOGIUM XII.
Venerabilis THOMAS à Kempis,
Ordinis Canonicorum Regularium.

THomas in oppido Kempensi ad Coloniam natus:
Futurus virtutum Colonia:
Pueritiam exegit, qualem Innocentia viveret.
Ordinem Canonicorum ingressus Regularium,
Et eum visa est ingredi omnium Religionum Regula.
Reliquam Thomæ vitam lege in libro, quem edidit,
Quia totus liber in Thoma lectus est.
De Imitatione Christi eum conscripserat:
Scilicet explicuit, qualiter fuerit Christum imitatus,
(a) Talis enim vita qualis oratio.
Mira in eo codice simplicitas, quia mirè
DEUM loquitur, qui simplex est.
Quandoq; Christum alloquitur, ea dignitate ac si præsentem cerneret.

(a) Cicero.

Respon-

Respondet quandoq; Christus ea majestate, ac si interrogaretur à Baptista, Petro, vel Joanne.

Citra Prosopopæiam, non ficta auditur illic inductio personarum.

Videtur quævis Pagina esse Christi Epistola de cælo missa:

Auscultantur discursus DEI, dum leguntur:

Mutæ etiam syllabæ divinum habent sonum:

Verberant aures & cor, dum implent oculos:

Habet Sapientiæ linguam, caput libri quodlibet:

Interroga subitò, ad mentem respondet ex tempore:

Quasi liber intelligat, & audiat, quod quæris,

Dubia resolvit ut interpres;

Prophetat quasi Oraculum:

Differit, quasi viva tui Historia:

Te tibi explicat, velut pagina tui esset speculum.

Libellum hunc Epitome credas Evangelii:

Docet, monet, corripit, manuducit, & in cælo sistit.

Si deesse posset Evangelium, suppleri posset libello Thomæ.

Post ætatem eius nemo Sanctitatem assecutus, quam in hoc codice non quæsiit:

Et nemo quæsijt, quin sit consecutus,
Lojolæ, Borromæi Salesii, Nerii, de hoc libro sic profecerunt, ut Divorum albo inscribi mererentur:
Priùs familiares Thomæ, ut fierent familiares DEo:
Inde hauserunt radios, quibus in cælo radiarent.
Machometanus Mauritaniæ Rex hunc dilexit librum licèt ignoravit. (a)
Tunc non erroneus sapientiæ cultor, quamvìs veræ ignarus sapientiæ:
Cæcus de coloribus judicavit oculatè:
Surdus harmoniam approbavit consonè.
Ea lux effulgurat in paginis, quam advertant talpæ:
Ea dies scintillat in dogmatibus, quam vespertiliones diligant.
Jlle Thomas in libello cognoscitur, ut Sancti cũ judicent virtutis Ducem:
Intelligant Ethnici veræ Philosophiæ Magistrũ

(a) *Fassus est hic Turca Henrico Sõmalio Soc. IESV, pluris se Libellum Thomæ, quàm omnes Mahometanorum libros æstimare. Sommalius epist: ad Leonardũ Bevenium Abbat S. Trudonis.*

ELO-

ELOGIUM XIII.
S. MONICA
Lacrymarum Mater, S. Augustinum DEO *regenerat.*

NEmo lætiore successu flevit, ut Monica: Auroram crede roriferam soli prodromam.
Habita ex Filio solatia mersit lacrymis:
Tunc tantùm futura hilarior, dum ille inciperet lacrymari.
Manichæum esse Augustinum noluit, vel esse Filium:
Ut eundem regeneraret cælo, concepit de lacrymis,
Veriusq; de lacrymis genitus est Augustinus, quàm de sanguine.
Tamdiu Mater ægerrima dolore tabuit, donec eum pareret,
Et Augustinus doloris partus non pænitendam inchòàret vitam,
Magis Pœnitentiæ, quàm Municæ Filius.
Præstitit priùs Filio, quod postea præstaret Ecclesia:
Bapti-

Baptizavit eum lacrymis, antequàm baptizaretur lustrali fonte:

Abluit ejus crimina, & bis sunt deleta,
A Monica Matre, & Matre Ecclesia,
Ne macula vestigium relinqueret.

Futuro Doctori instillavit cum lacrymis divinæ delicias Sapientiæ.

In ejus gustu voluptatum dulcedinem acore corrupit;

A corruptela vitæ salo vindicavit.

Debet ergo Augustinus lucem magis Monicæ oculis, quàm utero:

Debet se Doctorem ejus questibus potiùs, quàm sapientum quæstionibus:

Erudiit eum gemitus, non docta thussis:
Docuit lacryma, non lingua:

Plus scientiæ hausit de maternæ palpebræ fontibus,

Quàm fabularum hauserat Græcia de Castaliis.

Et si fabula Minervam intra aureum imbrem genuerat:

Genitam esse Augustini sapientiam intra Monicæ lacrymas est Historia.

ELO-

ELOGIUM XIV.
AUGUSTINUS
Libros Confessionum conscribit.
Ethopœia ad figuras Thesauri.

NEscivi, quàm Sanctus fuerit Augustinus: re- scivi è criminum testimonio. *Cognitio Ignoratio.*

En aspice o Ecclesia mentem Augustini! Sigillum conscientiæ rupit, ut latentia exturbaret scelera. *Ostensio.*

Vobis aliquid utile narro viatores, scilicet Augustinum sua narrantem devia, ne similiter laxiori aberretis viâ. *Narratio.*

Discite hinc scelesti: libro docet Augustinus, retegi oportere vulnera, ne tecta gangrenam trahant. *Didascalia.*

Vos quoq; Sancti credite: magna est sanctitas, cùm Sanctus codicillo memoriæ consulit, ne unquam obliviscatur se peccatorem. *Affirmatio*

Ego tamen peccatorem nego Augustinum, Liber eum à peccatis liberat. *Negatio.*

Scelestus ille, scilicet Sanctissimæ Trinitatis Apostolus. *Ironia.*

Scri-

Reticentia. Scripsit sua crimina; quod Threnorum, & Sacra scriptura sit liber, satìs dixi.

Præteritio. Nec dicere possum infamem vitam fuisse Augustini:
Infamem libellum lege.

Iuramentū Per istum Augustini librum juro: nulla est sapientia, quam discoli mores non infatuent.

Testatio. Absolutus est tamen omni crimine Augustinus,
Has testor non corrupti judicii tabulas.

Animadversio. Delevit errores in anima, quos scripsit in pagina.

Parenthesis & correctio. Hic ille talis est (si tamen talis est) Augustinus; quanquàm alium cogita, non qualem se pinxerat; pictura est Augustini, non Augustinus picturæ archetypon; nunquam se talem delineâsset, si, cùm delineabat, picturæ conformis extitisset.

Admiratio. Miraculum! quàm crassas noctes sol tantus peperit.

Repetitio. Huc devenit Augustini sapientia, huc inquam devenit; ut erroribus mundum sapienter erudiret.

Exclamatio. O Paradoxum! sapiens cum desipit, sapit; dum menda vulgat, orbem emendat.

Exaggeratio. Quis credat arcanum esse Augustino pœnitentiæ Sacramentum: non omnes ille credidit

mini-

ministros pœnitentiæ, omnibus confitetur, ut ab omnibus absolvatur.

Quid? peccata sunt Augustini? umbræ solis indices. *Extenuatio.*

Tenuitatis vestræ memores estote Divi Præsules, hic liber memoriam juvat. *Memoratio*

Ex illo, ceu Sybillæ voluminibus vaticinor: cras Sancti eritis mortales, si crimina talibus repudii libellis manumittitis. *Præsagitio.*

Dubito equidem, an tantus extitisset Sanctus, nisi tantus peccator vulgaretur Augustinus. *Dubitatio.*

Quæro in paginis, in sententiis, in commatibus, lego magis Sanctum in peccatore, non in Sancto peccatorem. *Inquisitio.*

At quis veriùs peccator? si non ille, qui authenticis actis peccatorem se subscripsit? *Interrogatio.*

Imò qui Confessus se peccatorem, negavit. *Responsio.*

Jlle enim, qui sibimet impius, pius est: hoc jus divinum. *Interpretatio.*

Manichæe aliquid tui forsan in Augustino cogitas? falleris. Manichæi, quia pessimi, malo DEO mala imputant, non sibi. *Occupatio.*

Finge DEUM Judicem, librum hunc evolvere: dicet se ampliùs Augustini Judicem non futurum. *Fictio.*

Imaginatio Videor tamen me videre, quàm atroci verme animus carpitur Augustini, quos morsus sentit eius conscientia ! ah vana ludor imagine ! peccata Augustini roduntur à tineis in libro, non Augustinus à peccatis.

Expressio. Equidem tam levia nunc peccata sunt Augustini, ut chartæ folium.

Prosopopæia. Audi viator quid loquatur è cælo Augustinus : Albo Beatorum (inquit) inscripsi me, dum libro hoc me proscripsi.

Apostrophe Tu ipse liber fateare, approbavitne te DEUS, an reprobavit ? approbavit pœnitentis animum, non approbavit pœnitentiæ materiam.

Conclusio. Si sic o liber ! & places & displices; ergo totus places, neq; enim placere posses, nisi in talis argumenti parte displiceres.

Epiphonema. Tantus est Augustini Liber, ut Typus esse possit pœnitentiæ.

Compendium. In illo character legitur ipsius sapientiæ, Christianæ Synopsis modestiæ, tota Sanctorum Patrum Bibliotheca: brevi, unus legitur Augustinus.

Perplexitas. Unde ambigo, plusne legam in omnibus Augustini tomis, an in uno Confessionum libro : plus alibi sapientiæ, non plus virtutis.

Bene

Bene ergo est sudate Typographi; exili hoc margine mare lacrymarum clauditur, & propinat veræ fontes pœnitentiæ. *Approbatio.*

Jubeo te Fama; ad tubam hunc librum vulga: Evangilium est de Publicano. *Imperium.*

Admonebit Hypocritas unaquæq; libri facies, ne foris faciem extenuent, intus pinguem larvam circumferant. *Admonitio*

Cedite remorsibus vestris mortales; si tutò vipera foveri posset, hic sinum non excussisset. *Obsequiū.*

Amo te peccatorem Augustine, blandior scelesto tibi, amantur scelesti, qui seipsos odêre, ut scelestos. *Blanditiæ.*

Et vos salvete pœnitentiæ cineres in hoc libri monumento vivi. Circuit liber Orbem, & Pœnitentia, quærit Patriam in Orbe, illi equidem à cælo exilium est. *Salutatio.*

Tu viator bene precare : mortua hæc sunt crimina in mortuis. *Apprecatio*

Apage Zoile ab hoc libro, post censuram Augustini, censurâ vacat. *Abominatio.*

Post Manichæos errores, voluptatum studia, illecebrarum curam, tandem Augustinus hactenus fere effrons protulit libri caput ad salutem. *Objurgatio*

Augustinus seipsum sannis obiicit, insanißete. *Irrisio.*

 Ade

Vocatio & optatio. Adeste cæci & videte: utinam libellus oculos vobis aperiat, ut vos esse monstrosos advertatis, dum metamorphosim monstri legitis Africani.

Votum Ego tibi felicem æternitatem voveo liber. Liber vitæ, in quo æternitatis periodus est, mereris appellari.

Obsecratio. Obsecro lector da veniam libro, Decretalium est codex, à nemine judicari potest ampliùs.

Commendatio. Commendo vobis o sapientes hasce breves paginas, post triumphata omnium sapientum ingenia, hìc demum verus est Augustini triumphus de suamet stultitia.

Gratiarum actio. Mecænates Tui libri habes Augustine, ipsos Cælites; habet auctori tot gratias DEUS, quot sui contumelias legit retractatas in criminibus retractatis.

Recusatio. Tolle Jeremiæ codicem, Davidis planctus, Ioelis minas, hic liber satis docet pœnitentiam, ipso atramento pullatus flet.

Exultatio. Hoc libro plorat Augustinus: gaude Castimonia, Temperantia, Modestia: Apologeticus hic vos ulciscitur.

Iactantia. Jlle ego Augustinus Rhetorum lumen, Academiarum iubar, Doctorum oculus, tantam lucem, paucis hisce foliis obumbravi. Gr:

Gratulor tibi Augustine: post profligatas hæreses, post victorias ex Fausto, triumphos ex Pelagio, tandem librum edidisti, cui nullus hostis invideat. *Gratulatio.*

Plaudite Christicolæ: magna peracta est fabula, Augustinus Larvam exuit, scenicus olim, nunc verus Augustinus chartaceus prodiit. *Plausus.*

Heu rerum vices! hodie tandem palàm condolere debet Augustino Orbis: quàm magna miseria! *Ejulatio.*

Ingrate liber: Siccine transfigis, cui tantùm debes? lucem amittis, dum Authorem maculas; quis hunc ausus fuisset infamare? nisi tu infamâsses! *Improperium.*

Pænitet tam magni nominis: de Augustino nihil tale scribi potuisset citra mendacium. *Pænitentia*

Sperate populi, venia sceleribus facilis est: Augustinus pro domo sua Orator, impetravit. *Spes.*

Actum de vestra Apotheosi Divi mortales: etiam Augustinus Diras patitur, & furiis ipse suis perditur. *Desperatio.*

Timete o bases mundi! Ecclesiæ Columna tremit. *Timor.*

Ah nimium tui me pudet Augustine: Bibliothe- *Verecundia.*

 cis

cis mundus te non capit, cæpit codicillus, & prælum iſtud oppreſſit Auguſtinum.

Audacia. Erige tamen criſtas o liber! citra ſcandalum, & periculum vera exprobrare potes Pontifici.

Impudentia. Quisquis Tibi Sanctus es, nimium impudenter Sanctum te buccinas; Auguſtinus confitetur.

Excandeſcentia. Ardet animus irâ! Sanctum libellus lacerat, citra ſacrilegium.

Minæ. Væ vobis Hypocrytæ: Citatoria hæc pagina vocat ad judicium.

Nemeſis. Habes, quod mereris ſuperba Sapientia, libri capita ſub lacrymando cinere tumulata teſtantur, quantum ſine vera fide ſapias

Miſeratio. Tui me miſeret Liber, quicunq; legit, laudat Auguſtinum, te condemnat ut apocryphum.

Confeſſio. Confiteamini tamen pallentes paginæ, pœna vobis imponitur, toto ut erubeſcatis coram Orbe.

Deprecatio Deprecor ego te Auguſtine: atramentum tui libri vinum eſt Angelorum, Elogiaſtes fel immiſcui.

ELO-

ELOGIUM XV.
S. NORBERTUS
&
Ordo Præmonstratensium fundatus
Anno Christi MCXX.

Juxta illud *Anno Millesimo centeno bis quòqué deno sub Patre Norberto fundatus candidus ordo.*

NOrbertus
Ijs clarus abavis,
Qui Europæ soles sunt.
Omnium Europæ Regnorum affinis,
(Si voluisset) pœne Hæres.
In aula Imperatoris educatus ad spes maximas,
Sed mutatis moribus fortunam fefellit, & aulam:
Hæc ne honores congereret, & opes,
Nobilitatem Norbertus exuit honorum, & opum chasma.
Oneratum se sensit Ecclesiæ beneficiis, non ornatum.
Sarcinam deposuit, ut promptior excurreret in lucra animarum.

Igna-

Ignavam inquiebat ſalutis alienæ curam,
Aliquâ detineri curâ:
Et anguſtum eſſe zelum,
Uno poſſe comprehendi loco.
Nudipes plurimas peragrabat Diœceſes,
Ut Apoſtolica meliùs imprimeret veſtigia:
Epiſcopalis dignitatis fugitans, non laboris.
Ab innumeris rogatus Diœceſibus,
Epiſcopum ſe negavit,
Ne Paſtorem bonum amitteret, ſi ſtipendium admitteret.
Genuum tenus profundas nives ſuperabat,
Ut ſub hyemem avidiores prædæ lupos propulſaret.
Innumeros ab Hæreſeon errore induxit ovili:
Nempe crudo ovium indutus vellere,
Et melotâ quaſi Agnus,
Erraticas oves pellexit ſimilitudine habitûs.
Inter peccatores & DEUM,
Inter homines & rixas
Pacis arbiter:
DEUM peccatoribus conciliavit, ut hoſtia:
Homines hominibus, ut affectuum humanorum Rex.
Deſertum à Laudunenſi Epiſcopo locum obtinuit,

Colu-

Columnas Ecclesiæ de hominibus formaturus in eremo.
Desertum dicebatur *Præmonstrâtus*;
Prodigium mundi Norbertus,
Vel à loco monstrari debuit.
Præmonstratensium postea nomen Ordini præposuit:
Vir horum quilibet digito magnus, notari debet,
Postea Magdeburgensium Archiepiscopus eminuit;
Virtutes privatas auxit,
Dum fecit publicas.

ELOGIUM XVI.
NORBERTUS
Auream accepit Regulam,
à Sancto AVGVSTINO jam Cælite.

ALumnus cælitis Augustini Norbertus in terris Cælicola.
Æthereum somniavit Augustinum,

 Cuius

Cujus imaginem altè moribus impresserat, & menti.
Qui nihil spirabat interdiu, nisi Augustinum,
Sanctioribus noctuagi phantasmatibus nequiit.
Somnum ego hunc, Beatam Requiem assero:
Sic Beati dormiunt, cum in DEO requiescunt:
Sic vigilant, ut ille dormiit.
Collocutus est Augustinus Norberto dormienti:
Non potuisset colloqui, nisi hic loquentem intellexerit:
Aut ergo Norbertus, sic integris sẽsibus dormiebat,
Ut vigilabat Augustinus:
Aut Augustinus sic dormiebat,
Ut Norbertus vigilabat:
Ut loquenti Dormiens, Dormienti loquens ad amussim responderet.
Unde habent Præmonstratenses Patriarcham,
Qui vel somniare potuit, quæ sciunt Cælites:
Et ea didicerit dormiens, quæ Orbis Doctor sciverat.
Accepit ab eodem, jam cælesti regulam:
Et Regula ea est, quam vivunt Cælites:
Et qui hanc in terris vivit, Cœli est Genius non homo.
Ex omnibus Cælicolarum virtutibus, unam fecit Synopsim DEUS,

Ut

Ut Beatorum conderet Familiam, dum Præmonstratensium fundaret Ordinem,
Talesq; haberet Viatores in exilio,
Quales habet Comprehensores in Patria.
Vix eguit approbari à Romano cælo regula:
Hanc æthereum Numen approbavit priùs, quàm tradidit:
Nec demitti à sideribus poterat felix pagina,
Nisì diploma fuerit subscriptum DEI Digito.
Legiferum efferat Moysen culmen Sinaicum:
Jlle scabrosæ genti, legem sculpsit in silice,
Et lapideo, lapideam populo tradidit,
Simul fædifragi pænam, duri cotem acciperent:
Quanti sunt Præmonstratenses! ad suam illos regulam examina:
Aureos suspexit Augustinus, porrexit auream,
Simul observantiæ mercedem, non separavit à lege observanda:
Simul accendit perfectionis avaritiam, in perfectionis methodo.
Quod aureum victuri sint Norbertani sæculum,
Ad pretiosiorem est labellam, còalita familia.
Singulæ domus emicuerunt cælis æmulæ:
Ex qua superûm Civitas fabrefacta materie,
Ex mundo, eodem auro fundata, Præmonstratensium Religio, (a)

(a) *Apoc.* 21.

 Divi-

Divinusq; fiscus meretur nuncupari,
Cui deposuit thesaurum DEUS proprium,
Et jus ad regnum aureū, legavit testamento aureo.

ELOGIUM XVII.
INNOCENTIUS III.
Summus Pontifex inquit:

Mundo celebris, Supernis grata Civibus, Sacra Religio Præmonstratensis Ordinis à suæ plantationis initio, æterni Regis *Habitaculum.*

ALii plerumq́, laborant famâ,
Cùm Studiosiùs laborant famæ:
Nihil faciliùs est, quàm gloriosum dici,
Sed nihil incertiùs, quàm esse.
Mendacia equidem miscentur titulis:
Et veram laudem inveniri, est pœnè non ab homine laudari.
Laudavit Præmonstratenses ille, qui errare nequit:
Et laus error esse non potest.
Mundo celebrem, dixit hunc Ordinem, Innocentius.

Mundo celebris.

Ne

Ne quis de infallibilitate gloriæ disputet,
Pœnè de Cathedra, veracem gloriam definivit.
Qui mundum in sinu habuit,
Scivit quis fuerit *Mundo celebris.*
Perpetuum est mundi Festum, hæc religio,
Oraculo summi Pontificis omnibus populis
Celebre.

Supernis gratam Civibus, idem asseruit eandem familiam

Supernis grata Civibus.

Quia ferè eadem gratiâ præditam:
Nec ingrata esse potest suis concivibus.
Quidquid illi contulerunt Cælicolæ, experiuntur gratitudinem.
Vos grati Cælicolis, quia cælestium munerum sic participes:
Ut vix illis aliquid ex Iustitia debeatis,
Præter illud debitum, quod importat gratitudo.

Æterni Regis Habitaculum vestræ domus,
Et sunt Regia.
Vos Regis alumni, & Regum Rex alumnus vobis.
Perpetuitatem vestri Ordinis intelligite:
Æternus Rex esse non desinet,
Quin æternum in vobis perennet regnum.

Æterni Regis Habitaculum.

ELOGIUM XVIII.
CLEMENS VIII.
De hac familia inquit:
Perpetuum Virorum fortium, & Fidei Catholicæ Propugnatorum Seminarium.

COllige messem clypeatam Ecclesiæ
Norberti Familia, *Perpetuum Virorum fortium est Seminarium.*
Seminantur Bellatores fortissimi in fertili gleba,
Vivæ succrescunt laureæ,
In flore sunt triumphi.
Autumnus huic Ordini Martius,
Numerosæ ceu fruges victoriæ,
Et plura sunt eis trophæa, quàm horrea.
Fidem propugnant Catholicam fideliter:
Universales Ecclesiæ propugnatores:
Còéxtendunt potentiam Divinæ Fidei,
Ubiq; succurrunt, ubi hæc nutat:
Restaurant aciem, ubi succumbit:
Triumphant, ubi vinci cæperat:
Aliis vita est militia: Præ-

Præmonstratensibus est pugna;
Et discrimen est inter pugnam, & militiam,
Inter pugnantem, & militem:
Innumeri, dum alienis etiam incumbunt sarcinis, militant:
Qui pugnant, nihil magis putant suum, quàm pericula:
Utriq; ad easdem concurrunt manubias,
Utri magis meruerint, ensis distinguit, & vulnera.
Istud vestrum est, o invictum Munimen Ecclesiæ!
Continuo vivitis in conflictu,
Æternum perpetuatis prælium,
Sicut nunquam hostis,
Sic nunquam deestis hosti:
Quamdiu Impugnatores Ecclesia,
Tamdiu Vos est Propugnatores habitura.

ELOGIUM XIX.
S. GERLACUS,
Ordinis Præmonstratensium.

EX Propugnatoribus unum accipe Gerlacum, o Ecclesia!
Qui omnes hostium hebetavit ictus.
Nudo pectore nudam circumtulit loricam,
Et ferreum probavit animum.
Nunquam se exuit bellico apparatu,
Et triumpho.
Semper illi classicum in aure,
Bellum in humero.
Internus sub cute hostis;
Ne illi hic rebellaret,
Eum ferreo inclusit carcere,
Intus & foris inde tutior,
Quod & suæ carni, se armatum impresserit,
Et deforis, paratum se pugnæ semper ostenderit.
Nullum cordi jaculum eminus nocere potuit,
Nullus in corde tumultus cominus gliscere:
Bellicus thorax exarmavit intestinum Martem, dum texit.

Extra-

Extraneo nunquam herbam, ſemper objecit ferrum,
Nullibi feliciores naſci poſſunt Teſtudines,
Et nulli ſecuriùs Pax commanſit,
Quàm Gerlaco belliportæ.

ELOGIUM XX.
B. V. MARIA
De Mercede.
Redemptionis Captivorũ Fundatrix,
Anno Christi MCCXVIII.

INter Religionum Patriarchas,
Patriarcharum Reginam recenſe muſa:
Quæ Salvatorem mundo peperit,
Salvatorum Ordinem condidit,
Et generis humani Mediatrix,
Redemptorum Fundatrix eſſe voluit.
Non paſſa eſt pati Hiſpanos, Saracenam ſervitutem:
Omnium hominum Mater,
Peculiari favore Hiſpanorum,

Quos ne dubites MARIÆ filios,
Instituit, ut haberet liberos.
Sensit humanarum dolorem compedum,
Et in Hispaniis se doluit mancipari :
Aggemuit Reginali gemitu, gementi regno;
Ut Dominam Regni censeas, regnum captivavit,
Dum Cives Tyrannis, Tyrannos Civibus eripuit.
Brevi eos sub suum misit jugum,
Quo emancipavit Christianos.
Rude donati Christicolæ, donârunt rudente Barbaros.
In eadem implicarunt vincula Dominos vinculorum:
Tulitq; Maurus collo, quod Christianus pede.
Ad istud libertatis negotiũ negotiosis usa ministris
Salutis Administra :
Petro Nolasconi serena fronte apparuit,
Ut ad triste aliàs exhilararet Officium.
Eâdem noctê Raymundo Pennafortio,
Et Jacobo Aragoniæ Regi, communicavit consilium,
Et impressit Consilii fabricam.
Hîs usa contra Barbaros Triariis,
Unus è Collo, alter è manibus, tertius Christianis pedibus Saracenam demeret servitutem.
Coaluit exinde Ordo ,

Quem

Quem Rex Aragoniæ in Familiam adoptavit regiam,
Dum in ſtemma adlegit Regium.
MARIA in Titulum abiit ordinis,
Et Ordo in MARIÆ Titulum.
De Mercede appellari voluit:
Quod illa ſit Merces ſeu Redimentium, ſeu Redemptorum.
Alibi theſauros ne quærite, mancipiorum Advocati,
Ancilla libere offeret,
Quò ſervos licitetur.

ELOGIUM XXI.
PETRUS De NOLASCO.

PRima Redemptionis Hoſtia Vir hic:
Ut Salvator Petrum, in quo fundaret Eccleſiã,
Sic MARIA Petrum nacta, in quo Chriſtianorum firmaret libertatem.
Natus eſt Nolaſco in Galliis,
Gallicis liliis Candor.

Albigensium Hæresis Galliam tunc denigrabat:
Infans Patriam lacrymis abluebat,
Hæresim vagitu confutabat.
Adolescens mutavit natale solum,
Ne mutaret cognatam fidem.
Secessit in Hispaniam tunc Mauris servientem;
Securior animæ, inter apertos corporum hostes,
Quàm inter occultos prædones animarum.
Jllic Saracenam imminuit potentiam, aurêis usus hastîs,
Captivos de sub hasta vindicans:
In hos impendit Patrimonium, mancipiorum Pater
Ratus hœreditatem pulcherrimam,
Pro metallicis vivos censere nummos,
DEI vultu insignitos.
Ne virtus tanta non exemplar esset,
Mentem secutus MARIÆ;
Ordinem condidit sequacem sui,
Et suo Ordini Ordo extitit,
Regulis regula.
Obligavit voto Sodales suos, ut se captivos oppignorarent pro captivis.
Istud est diligere magìs proximũ, quàm seipsum.
Ac transcendere Evangelium.
O vincula libertatem tinnientia!

Diliges proximum. Marci. 12.

O vena-

O venales animas & inæstimabiles!
Pia est Nolasci Pietas, dum videtur impia:
Alumnos addicit Machometo, ut dedicet DEO.
Servit Antichristo, ut serviant Christo:
Ut salvet Ordinem, perdere nititur.
Carceres barbarorum implent Prædones cœli:
Venundantur Mauris, ut de Jure sint Patri æterno hæreditarii:
Vites gemmiferæ, dum compedibus alligatæ.
Quæ illa triumphi pompa!
Mancipia in ergastulis, habent Capitolium:
Victimæ charitatis, & Victores sui:
Ampliorem his charitatem nemo habet,
Dum usq; ad angustias carcerum coarctatam.
Nemo his amat sinceriùs, quia nemo adhæret amicis strictiùs.
Unum Roma,
Innumeros adorare debet Ecclesia Petros, ad vincula:
Petro. Nolasconi homonymos.

ELOGIUM XXII.
Reliqua NOLASCI *Vita.*

JAm emeritus Nolaſco miles,
Poſtquam ſpoliis implevit Chriſtianum Orbem,
Privatæ paci indulſit, ut ſecum uno bellum gereret.
Carnem aggreſſus, ſubiugavit ſpiritui:
Et pæne in ſpiritum transformavit.
Caſtimoniam, ſic illi innatam reddidit,
Quaſi naturæ fuerit donum, non gratiæ.
Ut verò, illibatum ſervaret florem,
Hunc, ne præfocante æſtu areſceret,
Uberrimis pœnitentiæ rigabat lacrymis.
Fletu tamen, nihil unquam dignum egerat,
Nisì, quòd pro alienis ſanguinem culpis, non poſſet,
Holocauſtum immolabat oculorum.
Patiendi cupidus, Martyrium putavit, nihil pati.
Omnes deniq; Religioſi virtutes, ſic concatenaverat,
Quaſi eas mancipaverit.
Cumq; jam Annales impleverat, & annos,
E lon-

E longinquo adventantem vidit, facilè mortis umbram,
Vir multo coruſcus lumine.
Maturus æternitati, cui aſſveverat vivus,
Tam promptus ad eam migravit,
Ut diſcedere ex hoſpitio, domum crederes.
In Vigilia Natalis Chriſti, ad Chriſtum abiit:
Ut Cælum, & Nolaſconis & Chriſti Natalem, ſimul celebraret.
In iis Pſalmi verbis: Redemptionem miſit populo ſuo,
Spiritum DEO reddidit,
Et miſſam in terras redemptionem, etiam de ſuo compenſavit.

ELO-

ELOGIUM XXIII.
JOANNES De MATHA
Ordinis à Sanctissima
TRINITATE,
Fundator.

GEnus tanti viri nobile proavis, nobilius quod traxit à mancipiis, nobilissimum quod à Divina Trinitate inchoavit.

Falcone in Provincia natus, prædas insectaturus barbaras.

Jllo prodire loco debuit, per quem venaturus erat DEUS Orbem.

Parisiis Magisterii lauream adeptus, prælusit triumphis, quos captivi adornarent.

Omnibus consecratus virtutibus, in Presbyterum consecrari noluit.

Nempè invita maluit duci victima ad altare, quàm si importunè superis obtrusa conferetur.

Desideratus Ecclesiæ Mystes patuit, dum coactus.

Vide-

Viderint Sacrorum Arbitri: primus ad aras gradus eſt, velle indignum haberi tanto gradu.
Collegit dotes diis pares, qui ſe dotatum negat.
Connubium cum Chriſti Sponſa hìc legitimum, ſi inæqualitas fundat divortium.
Impulſus ergo Joannes ungi debuit, qui ante iam unctus erat.
Acceſſit cœlitibus pretioſior, ut gemma coronæ, quàmvis impreſſa violenter.
Fructificavit in vinea Domini uberiùs, ut palmes, quàmvis radici inſertus repugnanter.
Seceſſit deinde in ſolitudinem, ut nulla clauſus urbe, de mortalium libertate ſpatioſiùs cogitaret.
Jllic per triennium commoratus, negotium confecit ſæculorum.
Reperit felicem Valeſium, ſpreto Galliæ Regno, ſui inter populos Regem.
Hic diu eremum incoluerat, Maurorum monſtra faciliùs poſtea domiturus, Sylveſtribus aſſvetus monſtris.
Duo iſti homines, ceu duo libertatis Cardines:
Conſultârunt de Orbe à Barbaris vindicando, quaſi Orbis Adminiſtri.
In ſomnis admoniti petierunt Romam.

Scivit Numen alacres ad mandata, quæ etiam dormientibus ſuggereret.
Impetrârunt ab Innocentio III. inſtitutum approbari,
Et paruit Pontifex ter Innocens, ter Pius, ter Sanctus approbando.
Ad Miramolinum Marochi Regem prima ivit expeditio, ſubſecuta captivorum manumiſſio: Joannis Religio Triumphus Eccleſiæ militantis appellata;
Et Trinitarius quilibet circumquaq; vulgatus,
Velut foret Domini Exercituum Triarius.

ELOGIUM XXIV.
Intra prima Miſſarum Solennia ANGELUS JOANNI,
Apparet in ſpecie captivos redimentis.

QUod Joannis Ordo, magnum futurus eſſet Eccleſiæ ſacrificium, intra Miſſarum Solennia ectypon illius, è cælo miſſum eſt.
Charitatis victimæ offerri ad illud altare debuiſtis, in

in quo Amor Sacerdos, increatam immolabat hoſtiam,

Quales etiam eſſent Religioſi, qui captivos redimerent:

In Angelo DEUS ſimulacrum propoſuit, ut fierent Angelici.

Habitum, & ſtemma Cæleſtis expreſſerat Genius,

De virtutis ſtatura inter Angelum & Trinitarium ne dubites.

Quanquam liberare poſſunt à captivitate Angeli,

Non poſſunt pro hominibus captivari.

Effringere carcerem valuerunt, ut Petrum educerent liberum, *Actor. 12.*

Incarcerári pro eodem noluerunt.

Si tempora permiſiſſent, incarcerarentur Trinitarii.

Ex qua Hierarchia fuerit Angelus, neſcio:

Seraphim eſſe debuit, ut Charitatem Ordinis exprimeret.

Certè, dum Patres Religioſiſſimi, veſtram in perambulando Orbe celeritatem ſuſpicio, tantum viæ pedites conficitis,

Quantum ſex alis volucres conficerent Seráphini.

ELOGIUM XXV.
Ordo Sanctissimæ
TRINITATIS.

PRimi Hominis structura, consilium fuit Sanctissimæ Trinitatis.

Quantum erat negotium, Principem mundi fabricâsse Protoplasten:

Par Trinitati labor est hic Ordo.

Ad perfectissimum istud ectypon effigies hæc animata:

Vivere nequeuut nisi divinitatem spirent:

Loqui nesciunt nisi verbum, quod DEUS est:

Nec aliud cor habent, nisi capax Amoris increati.

Misit Benigna Trinitas Filium, ut mundum captivitate liberaret, pro mundo captivandus.

Filius Legatum egit Divinæ Trinitatis apud Tyrannos,

Annam, Caipham, Pilatum.

Dum contra jura Gentium violatus, tunc pleni juris habitus.

Officium Christi adimplent Trinitarii:

Hierosolymam habent in Propontide, Persia, Æthiopia, Africa, America.

Adi-

Adimunt vincula corporum, & mentium
Redemptores velut orbis, & vice-Christi.
Nec à Christo stemmate discrepant Proles legitima:
Crucigeri sanctiores, vacuam Crucem in pallio,
Quia Christum concludunt pectore:
Vel quia horum quilibet Crucifixus,
Et per Crucem Salvator Captivorum.
Eadem Crux visitur bicolor: cærulea, quia sine membrorum cruore portari nequit:
Quodq; à cælo missa sit, color indicat, & ex qua Cæli, ex eadem materie fabricata.
Porrigit & aliquid purpuræ, multorum rubefacta Martyrum Sanguine.
Hoc Crucis lytrum impenditur máncipiis, ut in libertatem filiorum exeant.
Hac scala educuntur ab ergastulis câptivi, quâ eductus ex orco mundus.

ELOGIUM XXVI.
Media nocte ad psalmodiam in habitu Trinitariorum
B. V. MARIA
in choro apparuit.

IN vestro habitu Patres, visendam se præbuit Cœli Imperatrix,

Et facta est Ordinis tanti filia, & vestra soror.

Si placet:

Profitetur Religionem hanc ut suam, & est Professa:

Annuit votis, & ex voto vestra censeri satagit;

Cùmq; alii MARIÆ sese devoveant,

MARIA Religioni huic est Devota.

Prudentissima Virgo media nocte comparuit, vestris exhilaranda nuptiis,

Alluditur ad Matt. 25.

Aliud satellitium non admìsit, quòd ex vobis singulos prudentem Virginem nacta sit.

Religiosæ præcucurrit psalmodiæ, auditura canticum, quale in cælo audit.

Non alium enim chorum credidit, nisi qualis est è novem spirituum Hierarchiis còálitus.

Jam veſtra Oratio non cælos penetrat, ſed Auditores à cælo evocat:

Movet ſuperos, ut ad preces veſtras ex Olympo condeſcendant:

Delectat, dum è propinquo aures arrigunt, & polum linqvunt, ut attentius oris ſaccara percipiant.

Quòd Majeſtuoſiùs: Regium exuit apparatum Imperatrix,

Forſan pompæ majoris ergò, Trinitarium induit habitum,

Conſecravit diviniore attactu indumentum, ut jam Ordo ſit habitualiter MARIANUS.

Quisquis jam ex hac Familia, cælos petieris, admittet ut ſuum Regina aulicum:

Agnoſci facile à MARIA poterit, vel ex veſte ſibi nota.

ELOGIUM XXVII.
Intra cervi Cornua JOANNES & VALESIUS, *Crucifixi effigiem suspiciunt.*

EXcurre in Orbis commoda Religio!
Agilem te satagit Crucifixus, in cervo ectypon tui proposuit
Deserta & invia, eremiq; penetrandæ: Dux tantus monstrabit iter.
Sequemini Leones cervum, celeres ad victoriam, ex effera barbarie rapiendam.
Ut DEUS captivorum salutem sitiat, hoc symbolo indicat.
Propinabitis refrigerium arescenti Christo, si ergastulorum terseritis lacrymas.
Pandite pectora Joannes & Valesi, Cornibus rimam effodiet Crucifixus, ut subeat,
Hoc stimulo urgebit vota, si jacent,
Firmabit potentes animas, si languent.
Dilectam te Sponsam autuma Religio, dilectus apparuit assimilatus Hinnulo.

Alluditur ad Cant. 2.

In

In prædam capi expetit, si vincula explices, quibus captivos extricas.
Rerum cogita affluentiam: nihil hac Cornu-copia liberaliùs, quam DEUS seipso implet vulneribus perforatus:
Ut tot Orificiis munera excidant.

ELOGIUM XXVIII.
Apostolici Labores Ordinis.

QUi nunc est claustralis Ordo,
Fuit olim militaris: (a)
A castris ad chorum transiit:
Pridem ad Martis tubam,
Nunc ad Psalmodiam Classicus.
Molanus & Gofredus Angli, sub signa Equites
Legerunt Trinitarios: (b)
Id est Divinæ Trinitatis satellites,
Et Commilitones cælestis exercitûs.
Uterq; martyrio coronatus est in Græcia,
Et coronavit morte mancipia atq; Græciam (c)
Non exuit tamen sagum Religio ad annum usq; DCCLXXV.

(a) *Bonaven Baro ex Ord: Seraph: Hist: Cosmi III M. DuciHetrur.*

(b) *Martyrol: Albingense refert circa Annum 403.*

(c) *Anno 403. ad 21 Aug.*

(d) Hieronym. Rom. Ord. S. Aug.

S. Gvillelmus Dux Aquitaniæ: (d)
S. Thomas Cantuarienſis Arch. & Brit. Prim.
S. Philippus Ferdinandi III Reg. Caſt. Filius:
S. Bernardus de Aquit. Templi Hier. Præſes.
Et ſexcenti ingentes Viri
Fuerunt Bellicæ Religioni vexillum & acies.
Ut tandem Ordo mutavit habitum, non animũ,
Viros, an vivas Virtutes recenſeas, ambige:
Captivæ in iis ſcientiæ,
Quæ ſunt in Lycæis Principes.
Divina Trinitas revelavit ſe pleniùs Familiæ,
Cui nomen in Titulum immiſcuit,
Et in myſterium toto Orbe explicandum.
Redimens mundum Sapientia
Redemptoribus confidentiùs ſeſe explicuit, & in Scholam dedit,
Capacesq; ſunt Redemptricis Sapientiæ Diſcipuli, Dum ſequaces.
Sectantur Salvatoris veſtigia, & innovant:
Quas triverant Apoſtoli, inſtar Appiæ, ſemitas ampliant.

(a) Macedo Corollarius Cap. 2.

E Provincia Ruſſiæ in Perſiam & Tartaream 60 Redemptiones exiverunt, (a)
Ex Provincia Paleſtinæ 117 an. 1455.
Ex Siciliæ 60: ann. 1551

Expe-

Ex

| *Ex Neapolitana 86. ann. 1549.*
| *Ex Germaniæ 143. ann. 1414.* | *ditiones*

Totum peragrarunt Barbarorum Orbem,
Et totum ferè Christianum Orbem à Barbaris vindicârunt.

Nec Redemptionem sinè Golgotha cogites:
Algerium, Tunetum, Tunisium, Persiam, Mauritaniam,
Redemptores sentiunt, ut Fatorum Colonias
In Algerio Robertus Victorianus & Cornelius natione Angli,
Dum captivos è carceribus liberant,
E corporis ergastulo migraverunt.
Morsu Barbarus guttura Martyrũ præfocavit,
Et ad cæleste convivium initiavit Divorum appetitus.
Galeranus, & Dalmao, Berengarius, & Rudolphus,
E Tuneto 260 stipati captivis, dum in Patriam remearent,
A Mauris interempti, Patriam in cælum tanstulerunt.
Rudolphus Anglicus cum 311 emanciparet Christianos,
Tunisii capite plexus, habuit quo coronam acciperet.

Ex Chronica Ord.

Eugenios Constantinopolis vivos damnavit flammis, vivas charitatis victimas.

Quid plura enumerem?

Confundit se Elogium, dum stagnat Martyrum sanguine:

Vix ulla cogitari potest Redemptio, sine Parasceve:

Tandem, poene vacuum hactenus prostaret cælũ,

Nisi Redemptoribus, & Redemptis impleretur.

ELOGIUM XXIX.
Ordo S. PAULI Primi Eremitæ.
Antiquitas Ordinis.

Apud nonnullos origo vestri Ordinis Patres Religiosissimi,

Problema fuit, non Historia:

Et gloriosum est dubitari de sui infantia:

Videre se magnum, & ignorari parvum,

Hæc demum vix est creata magnitudo.

De principio ambigere, est principio æternitatem immiscere:

Nasci

Nasci & initium pænè non invenire, est ad Divinitatem accedere.

Sed jam Annales hominum refutati sunt ab Annalibus DEI.

Gregorius XIII (puto) quod digito DEI ambiguas opiniones deleverit,

Cùm S. Paulum Primum Eremitam vestri Ordinis Institutorem scripsit. (a)

Hic integro ferè sæculo, negotium istud sæculorum, est meditatus.

Solitarius centum propè annis homines ignoravit,

Ut Angelorum Coloniam conderet, non hominũ.

Ex Palæstina transiit demum Religio in Hungariam:

Et replicavit terram sanctam. (b)

Habitarunt Primi Eremitæ prope Budam ad oppidum Patach dictum:

Totam impleverunt Hungariam Pauli virtutibus, & seipsis. (c)

Confirmavit Religionem Joannes XII ann. 1315.

Sic validissimam legionem addidit militanti Ecclesiæ.

Propugnat hæc in acie fidem Christi, & est invicta acies.

Hæresis, quia fortissima sensit Præsidia, quæ Romam tueantur:

 Innu-

(a) *Citatur in libro cui Titulus Fragmẽ Panũ Protoëremitici.*

(b) *Anno 1215 Inducti per Bartholomæum Quinq; Ecclesiensem Episcopum.*

(c) *P. Philippus Bonnoni S. J. in libro cui Titulus Ordinum Religiosorum in Ecclesia Militanti Catho-*

dedicatus Liber Clementi XI.

Innumeris Germaniam & Hungariam locis cœnobia Paulitarum diruit, ut Romam dirueret.
Plura de hoc Ordine Posteritas à me legeret,
Sed vadum calamus patitur, in ancipiti Historicorum alveo.

ELOGIUM XXX.

GREGORIUS XIII inquit:

Cùm inter alios Religiosos Ordines quibus fides Catholica, quasi gemmis rutilantibus illustratur, *Ordo quem B. Paulus Eremita deserti loca petens, vitæ Sanctimoniâ & institutis eximiis instituit*, singulari quodam fulgore resplendeat, *convenit nos illum, illiusq; omnia monasteria singularibus favoribus & gratia prosequi.* (a)

(a) *Ex Libro cui Titulus Fragmen Panis Protoeremitici.*

SPlendorem Paulitani Ordinis vidit Roma, dum accepit.
E fastigiis Hungariæ in Vaticanos montes lux diem replicavit.
Qui Petro Paulus per universum Orbem;
Illi sunt Paulitæ Petro per Germaniam, Hungariã, Poloniam, & ubiq; ceu solis Phosphori.

Ad Annum 1655 numerantur Generales Ordi-
nis 56. Viri Principes ſtellæ:
Et una quæq; ſtella meridiem accendit Ordini.
Fulſêre virtutibus & ſcientiis,
Ipſimet antiquiſſimæ Virtutum & ſcientiarum
Ceræ:
Eorum fulgor credi poteſt talis,
Qualis eſt, dum Roma appingit radios.
Continuatur in poſteris ortum Iubar:
Singulari reſplendent fulgore ſinguli,
Et fulgoris ſingularitas præmium eſt meritorũ,
Quæ aliis eſſe non poſſunt communia.
Alii Ordines Gemmæ ſunt Catholicæ fidei,
Id eſt Chriſti Sponſæ monilia:
Et Gemmæ vultum ornant, formam recipro-
cant,
Suntq; Dives anima Pulchritudinis:
Pretioſus Venuſtatis oculus:
Nitidi corporis dies.
Vos Patres Religioſſimi inter gemmas
Gemmæ ſingulares:
Pulcher Theſaurus Eccleſiæ,
Piſcatorii lucidæ opes Annuli,
Glorioſæ myſtici corporis dotes.
Illud eſt Orthodoxæ Religionis Ornamentum
veſtra Religio.

Quale

Quale ornametum est gemmarum candor;
Quale candoris decus nitor :
Qualis gloria nitoris oculos omnium rapere,
Et ab omnium rapi oculis.

ELOGIUM XXXI.
Sanctitas & Sapientia Ordinis.

MInimè solitarius in eremo Paulus, quàmvis solus vixerat.
Ingens Virtutum Populus nunquam illum deseruit in deserto:
Continuum illi satellitium Fas, Æquum, & infinita ingentium Morum multitudo.
Ut animam cælo, filiis hæreditatem reddidit, qualem habuit virtutes solas, & eremum.
Diù hæ manserunt solitariæ in eremo, licèt innumeris mistæ Monachorum millibus, infinitis immiscendæ.
Quotquot in Palæstina, Ponto, & ubiq; floruerunt Eremitæ, Paulinæ Palmæ Viruerunt Folia.

Vivæ vivi trophæi frondes:
Tota nunc Paulitarum Religio eſt, (a)
Et Palmæ foliũ, quod Chriſti coronet frontẽ,
Et Frons, quæ triumphalem inſternat viam,
Et fructus, quem ſponſa apprehendat, (b)
Ut guſtum exſatiet.
Jam diu privatæ ſub eremi umbra Virtutes,
Exiverunt vobiscum in publicum, & ſolem fulgore ſuperant.
Sed tamen dum urbes intrâſtis, & oppida
Patres Religioſſimi,
Non exiviſtis à deſerto:
Privati & publici,
Vacui & negotioſi,
Solitarii & populares:
Viventes duplicem vitam,
Ut una còáleſcat.
Viſitur ſub pallio ſingulorum Palæſtina:
In extatico vultu, Pontus revireſcit:
In corde vaſtiſſima ſeſe eremus explicat.
Quod glorioſiùs: virtutes Angelicas, quales niveus ordo habet Symbolicas,
Reddidiſtis intelligibiles, cùm, ut inter homines ſapiant,
Sapientiam virtutibus inſpirâſtis

(a) *Cædebant ramos palmarum.* Matt. 21.

(b) *Aſcendam in Palmam, & apprehendã fructum ejus* Cant. 7.

Audiunt Academiæ disputantes Paulitas,
Et Paulos putant in Arèópago differentes.
Thèólogiam sciunt, velut à tertio revelatam cælo hauserint:
De Philosophia discurrunt, ac si eam invenerint primi, vel concluserint ultimi
Scientiarum sequestri,
Mysteriorum Mystæ,
Arcanorum Interpretes.
Sic Eremum in Academum:
Sic monstrosum Nilum,
In Mysticum Theologiæ pelagus:
Sic Ponti umbras, in noctes Atticas intulerunt,
Ecclesiæ commodo,
Sui ornamento,
Universi orbis lucro.
Ut te lector exsatiem, ad Fragmen remitto
Panis Protòèremitici: (a)
Ne micam dixi, plenum illic avidæ menti relinquo convivium.

(a) Liber editus Auctore P. Andrea Eggerer Ord. S. Pauli Primi Eremitæ An. 1663.

ELO-

ELOGIUM XXXII.
CZESTOCHOVIÆ in Mõte Claro
Minoris Poloniæ habitant.

SUb veſtris Clavbus Patres! ſunt Miracula Deiparæ,
Vos miraculorum clavigeri,
Vos ad miracula Portæ.
Non ſurdâ famâ Civitas Częſtochovia,
Velut altera Nazareth,
Et Prodigiorum in Polonia Metropolis.
An illa veſtri juris, & veſtræ ditionis ſit, ambigo;
De dominio litem movent,
Et præſentia Dominæ Virginis non tanquam hoſpitis,
Et veſtra Poſſeſſio à tot ſæculis oppidi Domina:
Forſan meliùs Servos dicam MARIÆ,
Ut dicam Częſtochoviæ Dominos:
Et dicam MARIAM Częſtochoviæ Dominam,
Ne Vos negem in Urbis dominio MARIÆ cohæredes.
Suum jus in Częſtochoviam aſſerit Divina Virgo Miraculis:

Quot in Claro Monte atomi, tot Divinæ Virginis miracula recensentur.
Neq; hic miracula indigēt miraculis, ut fidē habeāt:
Quotidiana sunt experientia,
Vulgaris fama, & publica,
Omnibus, & lippis, & cæcis nota.
Unde Częstochovia non hominum est ditio, sed Cœlitum:
Agit illic DEUS per Magnam Matrem,
Quæ in cælo agit.
Terrigenis beatitudinem communicat,
Quos Mariano respicit oculo:
Miserorum palpebris eripit lacrymas,
Et voluptatis torrente fletum diluit:
Calamitatibus paradisum immiscet,
Et acorem aufert.
Potiùs quantum Paradiso Cælum,
Tantum est Częstochovia felicior Paradiso.
In hoc DEUS naturam creavit, naturæ auctor:
Częstochovia locus est, ubi DEUS naturam
Supra naruram elevat, ut sese elevet Dominū.
Corrigit prodigiis in homine, quidquid corrupit vitium:
Fulcit, aut erigit, quidquid à Cælo cecidit:
Jllac ad Beatam reducit Patriam exules, quot quot Częstochoviam veniunt;

Hæc

Hæc enim proximus Limes eſt cæli,
Beatæ Porticus Patriæ,
Intimum ætherei fori ſuburbium.
Mons ipſe divinam attingit viciniam,
Et vos miracula immiſcent ſuperis.
Quis enim prodigioſos eſſe dubitet?
Quorum preces miraculoſæ dici debent,
Quæ dum MARIAM exorant, miraculoſam reddunt.
Dum ſupplices manus attollitis,
Cælum reſeratis, ut pluat prodigiis:
Divina movet Omnipotentia Brachium,
Ut Czeſtochoviæ velut in miraculorum officina, gratias operetur:
Has in veſtra manu deponit, ac arbitrio:
Ut per Vos à MARIA mendicet Europa, & accipiat.

ELOGIUM XXXIII.

CZESTOCHOVIA

Poloniarum arx indomita.

ATtolle verticem Częstochovia! & laureas patere.
Una Rupes assurgis Poloniarum Capitolium;
Æternantis Triumphi Fundus:
Hostium Scopulus, & Mausolæum.
Sæpius aggressa Częstochoviam Hæresis,
EtHorto porrexit *Concluso* herbam, (*a*)
A CupressinaIcone, solam cupressum reportavit.
Præsidiaria Poloniæ Imperatrix Deipara, totam propugnabat Poloniam intra suam Arcem & acclusit:
Repressit hostes, & oppresit,
Vicit quasi jam Dominos Poloniæ
Hæreditaria Polonorum Domina.
Pugnatum est prodigiis, contra portenta potentiæ:
Quod hostis jaculabatur bellum, sensit:

(a) Cant. 4. *Tabula qua Imaginem refert est pressina.*

Suo.

Suorum fulminum meta,
Et sui Martis hostia.
A muris enim globi redibant tormentarii, in torturam hostium:
Quas exonerabant machinas in Czętochoviam,
Częstochovia fuit globorum machina:
Unicuiq; quod suum est, reddidit ex Justitia,
Propriummet hostibus plumbum, & gravissimã in plumbo cladem:
Collusit tunc Divina Omnipotentia Impiis, & illusit.
Quas jecere pilas, in ludibrium repercussit, & incussit opprobrium.
Adeò duram se exhibuit Hæresi Deipara,
Ut à mænibus in jaculantes resilirent jacula,
Rediret in auctores scelus,
Et vindicta scelerum,
Suoq; ferro se furor perimeret.
Aliquando muri ad nubes videbantur assurgere:
Ut Gigantes illi crederent, in Paulitarum Arce Cælum oppugnari.
Aliquando in imas valles descendere visi:
Ut intelligerent Philistæi, ipsam sibi esse Præsidiũ *Arcam fæderis*, quamvis nullo tegeretur præsidio.

Circa Anni 1655.

Alias

Alias prætermttit victorias pallens pagina,
Triumphorum magnitudine ſtylus vincitur.
Conſtat Częſtochoviam, Polonæ ſecuritatis eſſe
Templum,
Et hoſtium Thermopylas.
Iterum hic viſitur Paulus Eremita, indutus palmæ foliis :
Adorantur Paulitæ, ut Statores Poloniæ :
Creduntur, ut aureæ Cuſtodes libertatis:
Timentur, ut indomitæ boni publici Arces.

ELOGIUM XXXIV.
BENEDICTUS ABBAS, & *Benedictinorum Familia*
Fundata circa Annum CHRISTI CCCXXX.

LAudare Benedictum metuat nemo, nihil de illo narrari poteſt, niſi bene.
Triennio Sublaci Speluncam incoluit, educaturus ſe leonem contra canem tartareum
Diſcebat tamdiu ſolitarius ſolam Trinitatem:
Et tunc Benedicti vita, fuit vita ſolius DEI:
Benedictinorum Regula patuit ſolius Divinitatis ſoliloquium.
Quam legem decurritis Patres Religioſſimi!
Triennio Chriſtus mundum erudiit:
Ut in illo temporis curriculo Philoſophans mundus, authorem naturæ cognoſceret.
Eandem triennii moram Salvator impendit Benedicto;
Velut tanti eſſet DEO, erudire Benedictum, quanti mundum:

 Talemq;

Talemq; haberetis Magistrum, quem Mater
Sapientia, quasi infantem ablactavit triennio.
Ædificaturus ille Ordinem Cælo contiguum,
In profundiori caverna jecerat fundamentum:
Simul auream formaturus familiam:
Intra viscera terræ clausus eandem concipere
debuit.
Vos ego o Proceres Benedicti adamantes di-
xero, intra rupem genitos:
Excisi de petra prodiistis,
De lapidibus creati,
Genus durabile bello,
Invulnerabile ævo.
Intra lampades cælum adiit Benedictus:
Virginem ivisse prudentem existimes.
Sic Ordini suo claravit iter,
Ne in Patriam errare possint à desertis montibus.
Quanquàm ad superos Benedictinorum via sic
trita est, & obvia,
Quasi jam infinitus pedes populus transméàsset.
Alium callem nesciunt, nisi qui ad vitam ma-
nuducit:
Privilegium istud Benedicti,
Prosapiam reddere æternùm Benedictam.

ELO-

ELOGIUM XXXV.

Habitanti in Sublacensi specu BENEDICTO

Panis longo fune porrigitur à Sancto ROMANO Monacho.

S. Gregor. Mag. Auth.

SUb durissima Sublaci specu, gloriosè dilapidabat Vitam Benedictus,
Dum egit saxis, rupibusq; duriorem.
Eminebat circumquaq; Caucasus propior sideribus, quàm terræ:
Hospitem occultabat, solis tantummodò Divis publicum.
Nulli mortalium patuit in cauernam aditus,
Ut constaret Benedictum vitam tunc egisse, à nullo mortalium assequibilem.
Nec dæmon quidem sub alia specie ad eundem penetrare voluit, nisì ut volucris.

Sub corvi specie.

Intraverat quidem Benedictus sed eo itinere, quo intrarent Angeli, nulli vestigia relinquendo.
Nutriri tamen indiguit, saltem inde, ut mortalis cognoscendus.

O miram ſolitudinis ſolicitudinem!

Panem non alium admiſit nisì ſolitarium.

Miſſo de rupibus fune miniſtro uſus, qui buccellam inferret, non miniſtrum (a)

(a) aſſveri.

Aude fama! & dierum 40 convivia ſaturis buccina faucibus!

Fune metiaris Benedicti prandium, quàm longum ſit:

In aliquot ſtadia diſtenditur menſa fruſtulo panis plena.

Gula time & ingluvies?

Ne furtivè quidem appetitum rapies Benedicti, ni patibulum ſentias.

Obligata Tibi Vir Diviniſſime Abſtinentia, & quàm ſtrictè, hic nexus indicat.

Verè dominaris appetitui tuo talibus vinculis mancipato.

Diſcent de te mortales, quàm longa ætas, à parvo epuli dependeat obſonio.

Ne filum rumpatur vitæ, adeo tenuiter menſa debet onerari.

Tu certè in filo vivis, & per filum:

Ne fugiat, ineſcas vitam exili pabulo, rudente alligas.

Sanctus Romanus, Sancto fuit providus:

Unus

Unus ille famem sentiebat Benedicti, magis quàm Benedictus.
Quem sibi subtraxerat injurius, panem justo detulit.
Piisq; alebatur furtis Benedictus, postea piissimus fur animarum.
Gratias age Romano Roma:
Alitur per Romanum Benedictus, ut per Benedictum augmentetur Roma.

ELOGIUM XXXVI.
BENEDICTUS
In spinis volutatur.

NUllus extra fæces, quamdiù non extra carnem.
Inter insulsas etiam pœnitentiæ lacrymas renascitur,
Quæ de spuma insulsi maris Venus est progenita:
Penetrat eremos, si non invenit, facit Satyros:

Desertā subintrat, & myrtum plantat:
Cum vix ossa & pellem jejunus circumferes, ossa & pellem tuam exhorresce, ut honestæ mentis exuvias:
Superest fortè costa in latere,
Unde vel in paradiso ædificata est ruina.
In Sublaci specu vide latrocinium:
Venus aggreditur, diripit Benedictum, vim infert, sed non aufert.
Exuit vestem ille cum importuno prædone
Athletes luctaturus.
Cùm robur deficeret, in vepreta nudus fugit,
Post horrendas sepes hosti delicato inaccessus.
Irrisit tela cupidinis tot telis obarmatus:
Totus triumphalis, in coronam rosas legit.
Lac amissæ Virginitatis cense lacrymam.
Jllud fabulosam Heroum ad astra viam dulcoraverit:
Purpuravit Benedictus Appiam, & cælum rubore tinxit:
Nullus Virgo ad superos aditum quære, nisi aditum emas sanguine:
Erubuit ipsa tellus sic rubentem Benedictum,
Tali baptismo sanguinis maledictionem expiavit:
Spinæ sunt Benedicto attactu consecratæ.

Toto

Toto corpore Capiti ſuo ſimilis, id eſt Chriſto,
Rex toto corpore Benedictus ſpinis coronatus.
Ampliùs ad eundem profana voluptas non rediit, poſt pœnam emendavit.
Abhinc æterno fædere iuncta illi Caſtimonia, dum innocens connubium in tali peractũ toro.
DEUS perpetuus in illa perennavit domo,
Quam ſcopis adeò mundatam reperit.
Audete alii:
Spinas ſpinis expungite:
Sic feliciter ſemen bonum intra vepres cadit:
Dum vepribus taliter ſuffocatur.

Alluditur ad Matt. 13. *Aliud cecidit inter ſpinas.*

ELOGIUM XXXVII.
BENEDICTUS
Veneno petitur à malis Fratribus, & Clerico.

AUde Livor evome venenum, & rumpare! Benedicti Virtus vix unquam in aliis viſa, inviſa eſſe cæpit.

Ad

Ad cælum penetrare valuit, nonnisi per nubes invidiæ.
Habuit hostes in fratribus, Fratrum hostia,
Tolerare non poterant Viri gravitatem suæ levitati onerosam.
Sub concolore vestimenti habitu, nisi pii morum sint habitus,
Fucus latet concordiæ, non concordia.
Non poterant sibi reddere similem Benedictum, volebant nullum.
Cujus vitam corrumpere nequierant, conati sunt corrrumpere stomachum.
Adeò nihil impium his, qui larvam pietatis prætexunt sceleribus.
Vino miscent venenum Sylvestres viperæ:
Æternam salutem vovent, non sanitatem:
Propinat Patri, proles ex felle coalita.
Heu palmam retrahas Benedicte, ne cupressum apprehendas,
Hoc in calice sudor est mortis, non vitis:
Non pura Christi lacryma, sed fratrum cholera.
Pallescit massicum noxæ conscium.
Grave illi crimen innatat, cave, ne innocens pectus vities.
Stetit anchela Benedicti sitis, & aruit hostium malignitas:

Signa-

Signavit cruce vitrum, resignavit arcanum scelus.
Ruptum est subitò toreuma, rupta & invidia.
Signo vitæ mors excussa:
Quia hæc tumultuosè fugiebat ex calice, confregit calicem.
Fratres integerrimam cognoverunt Benedicti Vitam, ex fragmentis poculi:
Agnovit & Benedictus in illa solitudine colubros, mutavit locum, quia homines mutare non potuit.
Altàs Clericus infensior Benedicto Api Vespa.
E vivis eum tollere voluit, cujus ferre virtutem nequiit:
Iis nempe onerosa virtus aliena, qui inanes propriâ.
Buccellam ei misit liberalis in exitium.
Eleemosynam porrexit misericordiæ carnifex.
Mecænas verè munificus, dedit ex corde virus.
Abundè pauperrimo providus homini, ne unquam ampliùs esuriret.
Quem unum habuit, dedit panem mortis.
Pro liberalitate, liberales accepturus pœnas,
Pro tali esca, futurus obsonium diabolo.
Accepit Benedictus modicum donum pestis,
Divino sensit attactu, callidam sub epulo fraudem;

Mandavit corvo, inauſpicatum munus tolleret:
Averſata primò bruta volucris donum, & donantis animum.
Coactus tamen furvus ille Sandapilarius, ut mortem in avia deportaret famelicam:
Ne vel bellua comederet, quod canina rabies porrexerat.
Mortuus brevi Clericus, unius Benedicti meruit lacrymas:
Neſcio, ã nõ deplorati ſtatus gutta fuerit lacryma.

ELOGIUM XXXVIII.
BENEDICTUS

Caſſini aram ſubvertit Apollinis: Templum Divi JOANNIS Baptiſtæ conſtruit; in eodem ſepelitur.

VEriori Prophetæ Apollo cede:
Pedes collige Pòéticos, & fuge promptior.
Infallibile mundi Oraculum Benedictus,
Fabuloſo indicit ſilentium Tripodi.

Una illius fides perfidæ discordat citharæ, & rumpit.

Cadendum est ex altari, pronoq; casu adorandũ Numen verum à falso.

Factum: comminuit loquacem Státuam Benedictus, futurus famæ Statua.

Profanum consecravit fanum, moribus sacerrimis.

Joanni Baptistæ dicavit ædem, & idololatriam baptizavit,

Non fecit tamen elinguem locum, sed publicavit:

Longè auditum reddidit Cassinum, *Voce Clamantis.*

Postea magis celebre prædicavit, dum mutos manes deposuit.

Jllic sepeliri voluit, sese morte fatidicum exanimaturus dæmonem.

Taceat Memphis superba Mausolæa:

Nemo gloriosius jacet, quàm Benedictus mortuus inter Deos mortuos:

Nemo triumphaliùs, quàm inter laureas Apollini raptas:

Nemo splendidiùs, quàm inter Phæbi fragmina.

ELOGIUM XXXIX.
BEATISSIMA VIRGO,
Cum Duodecem Apostolis descendit ad sepulchrum BENEDICTI.

ANima Benedicti ad Superûm thronos,
Superi descenderunt ad Benedicti tumulum.
Fortè aliquid erat videndum in tumulo, quod non videretur in cælo.
Regina Sanctorum, in urna compendium Sanctorum videre voluit:
Visionem beatificam præstitit cæcæ morti.
Mater illa Numinis, ut filio parentavit Benedicto.
Sic officiosam se exhibuit Cassini, velut in Calvaria:
Nisi quod illic mortalis, hic immortalis mortem honoravit:
Jllic lessos & nænias, hic æterna cecinit tripudia.
Descenderunt & Apostoli cum MARIA, funeris noctem Stellæ cum Luna Serenantes.

Dubita, num cadaver istud, toti vellent orbi prædicare.

Vix unquam pyramides & collossi: id est mundi miracula, tam ingentes habuêre spectatores, quantos parvus cinis habuit.

Cecinere laudes DEO tanti hospites, & fuêre laus mortuo.

Audivit cadaver ipsum, quàm vera sunt cæli gaudia, quæ olim credidit.

Abi Viator

At prius parvum adora cinerem parvus,

Quem vides à tam Magnis adoratum.

ELOGIUM XL. BENEDICTI

Miracula ante & post mortem.

PRimum miraculorum est miraculum Benedictus:

Quales provenisse credes actiones ab authore, qui naturam excesserat.

Miraculum fuisset, vixisse Benedictum sine miraculis.

 Dæ-

Dæmonem ſub nigri ſpecie pueri viderât, en o-
culatum oculorum prodigium.
Quantæ magnitudinis vir / cui dæmon appa-
rere non potuit, niſi parvus.
Niger Angelum lucis mentiri nequijt, à verio-
ri Angelo dignoſcendus.
A choro ad forum extrahebat ille Monachum,
prius mentem, poſtea rapturus animam.
Coactus à Benedicto, ut orcum peteret,
Sic audiret, ejulatum, qui noluit in choro Can-
ticum.
Cavete puerum hunc, qui Patres eſtis:
Eiicite properi, ne in virum creſcat.

(*********************)

ELOGIUM XLI.

ALterum oculurum Miraculorum Totilæ:
Agnoſci voluit à Benedicto & non agnoſci,
Rex himæricus, Orbi tragicus, Benedicto co-
micè ſcenicus.
Riggonem famulum ſibi ſubſtituit, ut Benedicti,
virtutem proſtitueret.
Regio habitu larvatum ſubmiſit vernam Mo-
naſterio, & ſibi impoſuit.

Ad

At Benedictus verior Agnus, verum sensit lupum longiùs etiam dissitum.
Agnitus est Riggo sub Rege famulus, non Rex sub famulo.
Timere cæpit larva, quæ terrere venerat.
Verum postea Totilam, fictus Totila docuit;
Nosci à Benedicto Regiam Majestatem, non ex purpura.
Venit ille & in terram Benedicto accidit, cui prosternebatur Jtalia.
Multa audivit futura, multa præterita, hæc ut defleret, illa præcaveret.
Post Decem Annos venturam mortem intellexit:
Ingens hydra inciperet mori paulatim.
Para & Te ô Viator! fatis, quia fata parata Tibi:
Ad calculum tempestivus revoca rationes, si sunt perplexæ:
Momentum tanto operi, tempus est insufficiens.

ELOGIUM XLII.
BENEDICTUS
Reconciliat terram mortuo.

ETiam terra à complexu eum exclusit, quem Benedictus à gratia:

Egressus adolescens Monachus sine consensu Benedicti Monasterio, subitò egressus & è vita.

Vix Patris intrauit domum, Vixit: qui vivere Monachus noluit.

Terræ mandatus, novercam expertus, qui non Patrem Benedictum.

Cadaver infossum ter tumulo, ter ejectum, exilii poenam luit exilio.

Post mortem Viator, quia devius à Regula Benedicti.

Rogatus est Benedictus à Parentibus Monachi, & Vir cælestis conciliavit ei terram Matrem.

Poni supra pectus cadaveris Eucharistiam voluit, ut voracem terram inescaret.

Heu Potestatem Benedicti!

Legem DEUS condidit, qua legavit terræ homines mortuos. Suspen-

Suſpendit ſuam legem DEUS, donec eandem vellet Benedictus,

Et velut approbaret jus naturæ, quod author naturæ ſanxerat.

ELOGIUM XLIII.

PLura Benedicti miracula numerare eſt finem prœſagire:

At finis præſagiri nequit, ubi res inciperet, quando finiri diceretur.

Petræ & ſilices de loco moti: Benedictinianæ fortitudinis obeliſci.

Ab energumenis ejecti dæmones, vix in Italia, & Gallia quisquam Lemurum ſuperfuit.

Super aquas ſicco ambulatum veſtigio, & veſtigium patuit Angeli, non hominis:

Sæpius frumenta, oleum, farina illi divinitùs allata, quaſi clavim divinæ habuerit Providentiæ.

Puniti mortibus, cæcitate, morbis innumeri, quia priùs malè ſani.

Vindicabat DEUS Benedictum, ut ſuam in illo vindicaret juſtitiam.

Tot aliàs, præter hæc, cense miracula, quæ si mutua daret Benedictus, universo hominum generi ad Apothèósim sufficerent.

ELOGIUM XLIV.
Honor Benedictinæ Familiæ.

ALtitudinem Benedictinæ metiri potes familiæ, Vaticani altitudine.

Nulla familia sublimior, quia nulla cælo diutiùs intimior.

Intra Sublaci petras inchoata, supra petram Ecclesiæ consenuit.

Si unam supra alteram Pontificum Tiaras imposueris,

Concinnus Ordo, ferè nubes tangeret.

Coronæ, Galeri, Infulæ, junctis hinc inde Præsuleis Scipionibus, scalam facerent, cælos quâ conscenderes:

Per 500, juxta alios per 800. Annorum Orbes, à Benedictinis Ecclesia Universalis regebatur.

Et

Et Benedictinorum quasi particularis erat.
Oecumenicum ovile, intra parietes Oeconomi conclusêre :
Totus Orbis Christianus fuit Christi, & Benedicti,
Aliàs difficulter Christianus fuisset Christi, ni fuisset Benedicti.
Difficillimis Gothorum, Hunnorum, Longobardorum temporibus :
Servârunt Romanam fidem integram, in Roma perdita,
Impellentibus mundum ruderibus, per hos, ictum non sensit Petra Ecclesiæ :
Cadente Orbe, illi fuerunt immotæ Bases Vaticani;
Ex hac familia 41 fuêre summi Pontifices, & Pontificatus per eos summus :
Ex his plurimi coluntur Altaribus in vita, & post fata Sanctissimi.
Gregorius ex Ordine Benedicti, nonnisi Magnus prodire potuit:
Inde creatus est Pontifex, an veriùs declaratus :
Pontificatum gessit, antequam esset Pontifex:
Romanam fugiebat sedem, dignus ut à cælo quæreretur ad honorem.
Ardenti è nubibus proditus Columnâ, futurus Ecclesiæ fulcrum, & cæli.

 De

De aliis taceam Pontificibus: numerosum est Elogium vel nudus Pontificum numerus.

Sacris honoribus profanos ne misceam, eosdem detraho.

Imperatores 21. Imperatrices 23. Reges & Reginæ 20. supremos exuerunt titulos ut Benedictinum Nomen induerent.

Patet, ut Augustius est Benedictinum dici, quàm Cæsarem.

Gloriosiùs Monachum appellari, quàm Monarcham.

Quia Regales nutrit animas hæc Familia,

E Benedictinis assumpti Reges 14. Reginæ 46.

Didicerunt regnare serviendo,

Assveverunt parendo imperare:

Priùs Reges sui, postea Rectores populorum:

Et felices populi, quorum moderatores priùs DEUM expresserunt animo, antequam exprimerent Majestate.

ELOGIUM XLV.

Ecclesiasticus Honor Benedictinæ Familiæ.

IN Benedicti Familia
Si purpuras Cardinalium explico:
Purpuræ tantùm cæli tegerent, quàm latum rubere solet, dum sol exoritur.
Ducenti numerantur Cardinales, olim Monasticæ Eremi Rosæ.
Quantus est numerus Majestatis? & majestas quàm numerosa?
De nulla alia Religione creati sunt 200 Cardinales;
Et vix creari olim potuerant.
Ut ampliùs procedam per culmina:
50. Patriarchas, 140 Archiepiscopos: Episcoporum 15 recenseo millia.
Musa desine hìc elogium meditari:
Citra temeritatem laudatoris,
Laudari nequeunt, qui sunt infiniti.
Numerus fatigat cerebrum, & in tanta laudandorum copia, nihil propiùs ad infamiam, quàm laudari.

Quam

Quem primum de tot, quem ſecundum, quem diceres ultimum, te Ordo confunderet,
Et tu ordine confunderes ingentia Nomina!
Equidem qui ultimus, cenſeri poſſet primus: qui medius, locari ſecundus deberet, aut tertius;
Sic tanta honoris diſcriminatio, diſcrimen pareret,
Et multitudo parium, ſi in eodem loco ſiſti poſſet, deberet coarctari:
Si non poſſet? obtruderet inæqualitatem loci, & invidiam,
Satìs ad Benedictinæ faſtigium gloriæ,
Tot cenſere Infularum millia, ex quibus par Olympo Mons aſſurgeret.

ELOGIUM XLVI.
Sapientia Benedictini Ordinis.

IN hac Familia Magnificè regnat Sapientia. Si alibi hoſpitata, hìc nacta eſt domicilium, & thronum.
Barbari ferro vaſtabant Romam, & ſcientias barbariſmis. Fugê-

Fugêre Româ ſcientiæ in ſylvas & nemora, homines quæſituræ capaces ſui:

In Benedicti Monaſteria velut in arces ſunt receptæ:

Per Benedictinos defenſæ, & conſervatæ:

Debetq; illis mundus quòd Romanis ſapiat literis:

Et Romanæ obligantur Benedictinis literæ, ut tutoribus, quòd perennent.

Ex hac familia 15000 Eorum numerantur:

Qui editis mundum auxerunt libris.

Satis eſt, ut univerſum genus humanum à Benedictinis poſſit erudiri.

Nec aliquid amplius Benedictinus Ordo poteſt diſcere:

Nullam leges Bibliothecam, quam non impleverint:

Nullum volumen, quod ingenio non ornaverint:

Nullum Caput, cui ingenium non addiderint:

Nullum ingenium, quod non acuerint.

Tam multus ſapientum exercitus, omnibus hæreſeon caſtris ſufficit debellandis.

ELO-

ELOGIUM XLVII.
Sanctitas Benedictini Ordinis.

Quàm Sanctus Ordo Benedictinus ſit, fidem divinam conſule,
Quià Sanctitas fidem humanam ſuperat.
Apotheoſi donata ſunt 44. Monachorum millia & 22 Monachi.
Qui Agno aſſiſtunt electi ex omnibus populis 100 millia;
E Benedictina tribu 44 millia numerantur.
Vide; quàm hac ex familia pœne ſit tertia pars Electorum.
Tanta Sanctorum multitudo conſecravit Eccleſiam, ut ſit per Benedictinos ſanctior:
Implevit cælum, & ferè aliis coarctavit.
Caſſinenſe clauſtrum 5555. Divos celebrat,
Vix crede anguſtam à Caſſino in cælum viam, à tanta frequentia dilatatam.
Vix autumes, aliam eſſe Caſſini, quàm Sanctam terram,
A tot Sanctorum cineribus coalitam.
Quia dies non ſufficerent, Vix puta horam, quà San-

Centum Quadraginta quatuor Millia ſignati. Apoc. 7.

Sanctorum aliquis Cassini non debeat celebrari:

Si Martyrum laureas plantare vellem? centum leucarum è laureis eremus reflorescerent.

In Berchonensi Cænobio occisi 900, solitudinem sanguine rigârunt, ne sterilescerent.

In Genuensi Claustro crudeliter interempti iterum 900.

Vide quàm pares alant animas, Monasteria Benedicti.

In Anglia plusquàm mille ceciderunt victimæ pro Anglia:

Turonis Nortmannorum gladio perierunt 116.

Innumeris defuit Martyrium,

Non illi Martyrio.

ELOGIUM XLVIII.
ROMUALDUS
&
Camaldulensis Ordinis Fundator.
Anno MVIII.

RAvennæ natus in Italia Romualdus
Id est in Regno Martyrum Sanguine tincto:
Adnumerandus & ipse Martyribus,
Qui sibimet Tyrannus, Martyrium 100 ânnis
Exhausta inter lacrymas, & sanguinem vitâ fortissimè subiit.

E Saxorum familia Adamas hic erutus:
Non degenerem à familia postmodùm egit vitam, saxis duriorem.

E Ducum stirpe, Pater illi Sergius,
Aliam generis nobilitatem inchoavit, factus Dux Monachorum. *(a)*

Longobardorum Reges affinitati immiscuit:
Regnum postea novæ politicæ condidit, ubi servirent Reges.

(a) *S. Romualdi Familia Saxorum dicta ut est apud Razzium.*

Occa-

Occaſione homicidii à Patre perpetrati, ad Cœnobium Claſſenſe properavit:
Ut ſeipſum victimam DEO immolaret.
Jllic filiali pœnitentia paternum luit vitium:
Secutus occiſum extra mundum, dum ultra mortalem vitam.
Apollinaris Ravennatum Apoſtolus, ter illi apparuit:
Ut cæleſtis vir, cæleſtem centum annorum ſanctitatem, inſpiraret.
Factus ergo Monachus inſtinctu Apollinaris, ceu Divi Apollinis,
Orpheum poſtea in ſylvis egit, dum ſylvas animavit.
In tirocinio ſic profecit, ut veteranorum invidiam exciverit.
Invidi habitu Sylvicolæ, latrones moribus, trucidaſſent Romualdum:
Fugit ille invidiam, at nunquam virtutum invidendam.

ELOGIUM LXIX.

Victoriæ ROMUALDI:

FUgit invidiam Monachorum Romualdus; incurrit dæmonum.

Nempe virtus hoſtem ſemper invenit, ſi eſt invicta.

Tetri lemures aliquoties aggreſſi virum,

Vel ſemel ulturi, quotidianas ſui victorias:

Cumq; animum labefactare non poſſent, ſuis viribus fortiorem,

In eam Romualdi conſpirârunt partem,

Quæ ſola dæmonibus fuit debilior.

Per 5 annos ſupplantator Genius, ſupra Viri plãtas decubuit,

At nonniſi adoravit.

Pondus tamen illud, ſenſit Romualdus intolerabile,

Sic tamen ut in virtutum progreſſu, minimè tardaretur.

Jlluſit fraudi, & fefellit fraudulentum:

O ſpirituum (inquit dæmoni) leviſſime, dum ſic oneroſe: *Sva-*

Svades eremum, cùm disvades :
Tenes fortiùs, cùm propellis :
Compedem facis pedibus, dum gradum prohibes.
Hic ego degam mancipatus à te,
Tu non alitèr deges mecum, nisi conculcatus.
Quid valeas ? quid possis ? agnosco te infirmũ & pœnè morbum,
Ægritudo censeri debes, qualis est podagra.
Metire te & parvum.
Ad genua Romualdi, vix staturam exporrigis,
Olim Gigas, nunc Pumilio crure minor.
Aliàs sub specie vulturum, & corvorum, infestus ales ei apparuit :
Certè mortuum mundo cadaver novit.
Sed circumvolitare tantùm cellam potuit,
Quia in viro carnem olfecit incorruptam.
Contigit tamen, ut in cæmeterio eundem verberibus cruentârint, æternæ mortis Sandapilarii.
Emanante sanguinis indicio, hominem cognoverunt.
Quia ferè album putârunt Angelum.
Remansit post pugnam cicatrix in fronte,
Et character fuit ad coronam,
Quam in cælis dæmon, sui reliquit victoribus.

ELOGIUM L.

OrdoCamaldulensium.

ALtus CamaldulensiumOrdo, quia stellis contiguus.
Contignationes sunt vicinæ, cælum, & Romualdi Monasteria,
Modico graduum numero,
Ab una patet accessus in alteram.
Vidit Romualdus scalam tangentem sidera,
Et Ordo est Camaldulensium; graduum Ordo ad superos.
Heroes violenti
Munitam Urbem Hierusalem vi occupant,
Dum mænibus machinas admovent:
Nec expectant aperiri postes æthereos,
Quaqua datur, irruunt.
Locus DEI hic est, & porta cæli, ubi Romualdi Monesteria:
Quod olim fuit Jacobo somnium,
Camaldulensium Ordini experientia.
Si iterum plueret diluvium,
Nöémiticæ rati, salutem committerēt alii;

Admo-

Admotis in astra gradibus, vos in cælum fugeretis.
Reciperent suos concives Superi,
Quos jam stolis indutos albis vident, ad cælum candidatos.
Finxerint fabulæ Charontem, & Naulum;
Quasi pro libitu, & gratìs non liceat,
In Elysium transmeare.
Vestris est in arbitriis, sicco pede adire cælicolas,
Si hi, nullum excludunt à sui consortio,
Religioni silentiariæ, liceret scalæ adminiculo,
Furari æternam Beatorum gloriam.

ELOGIUM LI.
Labor Camaldulensium in Polonia.

IN veterem Poloniam prima sunt Camaldulensium beneficia,
Et Camaldulenses huic regno primi, dum antiquissimi.
Boleslaus Chrabri, quem habuit filium, fecit Romualdo subditum. Ma-

(a) Busclavinus Boleslai filius fuit Monacho Camaldulensis Surius.

S. Damianus

Maluit hæredem poli, quàm Poloniæ, (a)
Et sodalem Romualdi, quàm Regni Socium, vel Successorem.
Petierunt Romæ Coronam Boleslao, Camaldulenses Monachi,
Forsan certiùs, quod attulerint.
Ab iis, Regnum est Polonia:
Digni qui in Polonia, Religiosorum Reges nuncupentur.
Pro Coronæ beneficio, oppignoravit Romualdo filium Chrabri.
Optimus nempe Princeps, parem familiæ honorem censuit,
Se in Regem coronari, filium tondi in Monachũ.
Sic Camaldulenses Polonis consanguinei, & Cives facti.
Archi-Præsul Albertus, non priùs in Poloniam sese Apostolum intulit:
Antequàm à consortio Romualdi, severiùs Evangelium didicerit.
Ut Martyrem ageret Pruthenorum,
Eremus ad capiendas 7 hastas pectus ei dilatavit.
Secutus Albertum Gaudentius, & Crescentius, ut viæ, sic laborum socii:
Fidem propagârunt per Poloniam, Poloniam per Fidem;

Incre-

Incrementumq; Religionis, à Camaldulensibus dilatatæ,

Incrementū fuit Regni, per Chrabræum ampliati:

Et quæ accesserant Polonis Provinciæ, prius Monachi:

Subegerant eas Christo, postea subactæ sunt Boleslao.

Amplitudo victoriarum sequebatur vestigia Camaldulensium.

Missus in Russiam Bonifacius, eam sanguine ci curavit,

Ut frænum pateretur Polonorum:

Et pœnè martyrio promeruit, ut hactenus sit Polona.

Joannes, & Benedictus, Poloniam fecêre Majorem ingressu.

Antequam intraverant, quæ nunc est Major Polonia, fuit parva Polonia, quia tota.

Litvania quot monstris expurgata,

Hierenymū Pragensem ex hoc Ordine Herculem habuit.

Optimus Religionis faber DEUM, malleū tutudit,

Ne dæmon Litvanæ genti, servitutem cuderet.

Et DEUM ignem præcipitavit in tartara,

Dum igni & aqua interdixit.

Apud Litvanos inter DEOS numerabatur Grandū è ferro maleus, Pius II. Papa in descriptione Europæ.

Debet itaq; Camaldulensibus Resp: & se maximam & Religiosissimam:
Divi sylvicolæ, sic altè implantârunt Regno fidem:
Ut æternum eradicari nequeat.

ELOGIUM LII.

Tria præcipuè in Camaldulensibus miranda, Quies, silentium, Iejunium.

MOrtui mundo homines, pœnè quiescunt ut in cælis Divi:
Silent, ut muti Manes:
Iejunant: ac si sint extra statum, & indigentiam Viatoris.
Quietem solitudo fovet, quò nulla solicitudo penetrat:
Ab hominum turbis remoti, turbari nesciunt.
Nec venti eò involant, ubi intra spelæa degunt.
Intra bestias habitant, ut solus Adam in Paradyso,
Utq; suum in quiete sepiant Paradysum, etiam è longinquo excludunt Evam.
Mentibus immixti cælo, perpetuam vivunt extasim.

Sic

Sic abalienati ferè à ſenſibus, ut beatus illis ſit vita ſomnus.
Silentium pſalmodia non intercipit: pœnè tacent, dum pſallunt:
Et magìs pſallendo gemunt, quàm loquuntur:
Gemitusq; ſermo tantum eſt, quem DEUS intelligit,
Et pœnè aggemit.
Quanquam ea ſeveritas labiis interdicit,
Ut etiam altiùs ingemiſcere non liceat.
Verus peccatorum dolor, arcanus eſſe ſolet, quia ſoli DEO notus.
Ut ſe totus intra cor contineat, ne foras prorumpat, clauduntur oſtia.
Pleni cæleſtibus myſteriis, ſigillum habent ori appoſitum.
Ac ſi ſemper in tertio degant cælo,
Arcana tantum ſciunt verba, quæ non licet homini loqui.
Jejunium, perfectus eſt Monaſticæ triumphus vitæ.
Pugnaturi cum ſpiritibus, ſpiritus eſſe debent,
Ne caro ad victoriam gravitet.
Unguntur quotidie oleo, quotidie luctaturi
Iamq; Camaldulenſibus pœnè connaturaliùs eſt jejunare, quàm vivere.

Triduum per hebdomadam in pane & aqua vi-
ctitant:

Vix plus possent Angeli, si essent extra Patri-
am, & mortales.

Ferè solis totâ vitâ contenti herbarum radici-
bus.

Æternum implantant paradisum corpori.

ELO-

ELOGIUM LIV.
BERNARDUS ABBAS,
Et Cistercienſis Familia
Ab eodem aucta poſt Annum Chriſti *circiter* MXCVIII.

NAtus eſt Bernardus in Burgundia,
Et per eum renata eſt Europæ Religio.
Fontanis flumen iſtud melleum promanavit.
Nec mirum: ſi nitidiori forma adoleſcens canduit, (*a*)
Quem olim hauſerat, verum reſtituit fons Narciſſum.
Mox & lymphaticas aduſſit Nymphas, purior lymphâ puer;
Sed ne candorem decoloraret æſtus nequior,
Fugit in Sylvam, ſanctioris umbræ cupidus.
In eandem pellexit ſolitudinem 30. Iuvenes,
Et tali ſodalitio fundavit Novitius Monaſterium.
Iverunt Socii Bernardo & Fratres octo:
Vix unquam lecta in Fratribus tanta morum concordia,

(a) *Patria Bernardi.*

Iidem Bernardo ſanguine,, & iidem animo:
Hæreditatem relictam averſati, quam ille averſatus,
Ibi novam quæſiêrunt, ubi potuiſſent fieri Fratris cohæredes, & DEI.
Sanctiore pares ambitu, quæ calcavit unus, amplecti detrectârunt omnes.

Sic totam domum è domo Bernardus extulit,
Ut illi domeſticam Religionem faceret,
Et Religionis Domum.

Pulchro ænigmate Fratribus ſuis Frater, & Pater,
Novam ex iiſdem fundavit Religionis familiam,
Sicut Chriſtus, primum ex Fratribus Apoſtolorum Collegium. (*a*)
Sed major hic Fratrum numerus, quàm fuerit Apoſtolicus.
Major cum Evangelio nexus Bernardeæ Familiæ & gratiæ.
Monaſterium *Ciſtercienſe* nuncupatum, ingreſſi, Monaſterii illius pars potior,
Denominationem Monaſterio rapuerunt.
Ciſtercienſes appellati, quia omnem loci ſanctitatem ſic expreſſêre:
Ut locus eos in totum Orbem ſit ſecutus.
Unde & in Claram-Vallem abiit cum Bernardo Ciſtercium,

(a) *Andreas, Petrus, Jacobus & Joannes Apoſtoli Fratres.*

Et

Et Tyrocinii habitaculum, & habitum veteranus circumtulit.
Jllic Abbas factus, multorum virtutes Episcoporum exhibuit,
Licet esse multoties Episcopus recusavit. (*a*)
Abbatiali virga non emendavit Monasteriorum disciplinam, sed plantavit:
Refloruit ab illo novus Ordo Ordinum flos,
Et Clara-Vallis illa abundavit ubertate,
Ut tot in Europa Monasteriorum fieret Seminarium.

(a) *Genuensem & Mediolanensem Infulas detrectavit.*

ELOGIUM LV.
BERNARDUM
Crucifixus amplectitur.

Ligneam Crucifixi Iconem, ni truncus es, mirare fama:
Heu prodigium!
Exanime lignum bis mortuum,
Et pridem aridum, & Numinis mortui simulacrum,
Quæ

Quæ illa virtus/ & DEUM resuscitare mortuum,
Et ex ligno animare Diviniorem Mercurium,
Theandrici amoris Nuntium.
Amplexus est Bernardum DEUS Crucifixus,
In amicum incidit magneticum,
Ferreos extraxit clavos manuum, (a)
Et â dulcibus clavis, pellexit ad dulcius suavium.
Extende Bernarde manus, & Cruci te para:
Jam fessus suas refigit palmas DEUS,
Ut Atlanti succedas Hercules. (b)
Qui omnia tracturum se ad Crucem spoponderat,
In Te uno, omnia nactus:
Quam non reliquit, ut Judæa crederet,
Manu dimisit crucem;
Ut portatæ Crucis pretium, vel in Te uno acciperet.
Sat validus ille amor, qui patibulo DEUM affixerat:
An non tuus validior, qui refixit â patibulo?
Quærit in te vulnerum medelam, vulneratus hic,
Et mæstus mæroris solatium,
Vel dum agonizantem suspicis,
Medium se inclinat, totam inspiraturus animam.
Utq; æternùm amet, tuo vult iterum mori in amplexu.

Pro-

(a) *Dulce lignũ dulces clavi. Prosa Eccl.*

(b) *Alluditur ad illud: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* Joann. 12.

Prodigum tamen in Bernardo filium, nemo cogitet,
Sed prodigiosum stupeat:
Pater mortuus revixit,
Ut in hujus filii colla cecidit.

ELOGIUM LV.
BERNARDUS
Sugit Lateris Divini cicatricem.

POst amplexus itum in dia oscula:
Felleos gustus ut leniret Crucifixus,
Dulces Bernardi gustavit malas:
Ut Bernardus Divini cordis minueret amarorem,
Suxit lateris cicatricem.
Unus inhæserat alteri,
Melleus Abbas viscus erat Christo,
Et concretus Christi Sanguis, Bernardo viscus:
Ambo sui tenaces invicem,
Inter pactos manuum nexus,
Ambo invicem fæderati.
Novum exhorrescat Orbis sanguinarium.

Ad eversionem mundi, divinior conspirat Catilina,
In Divino sanguine, divinum propinat sibi bellũ,
Et bello parem bibit animum.
Vos Bernardi sodales applaudite:
Divini Oris spiritum hauserint alii:
Divini cordis Bernardus hauserat:
Hinc vestrarum vita legum illa est,
Quæ vita est secundùm cor DEI.
Jlli locutus est ex corde DEUS,
Et attentiùs instinctum divini cordis audiit,
Ut forsan ille, qui supra Christi pectus recubuit:
Ambo cordis Discipuli, (a)
Quamvìs Bernardus videatur esse intimior,
Quia per apertum latus, cordi præsentior.

(a) *Recubuit supra pectus.* Joan. 13.

ELOGIUM LVI.
BERNARDUS
Mariano lactatur ubere.

TAnquàm modò genitus infans Bernardus; Mariano lactatur ubere,

Verior Christo collactaneus,
Virgo Virginis Filius.
Quales esset habiturus vires Vir, indicat alimonia:
Ut monstris expurget Orbem, validus Hercules,
Non fabulosæ Junonis admovetur uberi.
Exsuxit inde Gigantem animum, veræ Deorum Matris, vera soboles.
Cuinam Bernarde magìs vitam debeas? ignoro.
Hinc è Christi vulnere, hauris sanguinem:
Juge futurus sacrificium:
Inde Mariano nutriris ubere,
Dum alimentum transit in alitum,
Sic corpus tuum crevit, in MARIÆ particulam.
Concretus igitur ex lacte, & sanguine:
Et CHRISTO, & MARIÆ, incorporatum te exhibes.
Quod fulmineum in membris ignem non senseris: est extra dubium:
Hunc lacte extinxit Virgo lactea.
Quod si olim uberis gutta, sic terram lavit, ut Cretam redderet: (*a*)
Tu ex Virgineo coagulatus lacte,
Vivus Candoris Genius esse debes.
Ne verò & Matrem ambigas:
Quasi recenter fæcundum gusta uber:

(a) Alluditur ad fabulam: Junonis ex ubere dum gutta lactis in terram ce

cidit, Cretam Insulam ab albedine denominavit.

Unam à tot sæculis Christus hauserat,
Uni Bernardo tamdiu altera, servabatur mamilla,
Ut sic divisam Bernardus haberet, cum Christo
Matrem, & unam,
Communem cum DEI Filio, & quasi propriam,
Eodemq; cibo, in eandem exparte, aleretur spem,
In quam, alitus est MARIÆ Primogenitus,
Cui Bernardus annumerari debet, plusquàm
Adoptivus.

ELOGIUM LVII.
BERNARDUS

Omnia Patientis Christi instrumenta brachiis complectitur.

TOta Bernardi vita, dies est Parasceve:
Dolentis Christi, compendiosa Epithome:
Vivum de Salvatoris Passione, Evangelium.
Omnia Divinæ Patientiæ instrumenta complectitur brachiis, & corde,
Eumq; instrumenta complectuntur.
Patitur singulorum dolorem, & in singulis Christo compatitur.

Omni-

Omnium Passionum socius, quia omnium cruciatuum bajulus.
Eum hostem iterum vincere debuit, quem DEUS vicerat:
Omnibus iis utitur jaculis, quæ Numen cruentavit,
Jlli ferè par bello,
Quia par bellandi apparatu.
Sanctiorem ne dubita Hectorem;
Mortui Achillis sui arma, vendicavit.
Viribus quidem Achilli minor,
At vel Achilleis, vires sumpturus ab armis.
En & Christo consanguineum venerare:
Aliis coronam, Crucem aliis, paucis stigmata ex divisit DEUS,
Id est sui Regni stemmata:
Bernardus collecta tenet, quæ sparsa per omnes,
Omnium Hæres insignium, divinæ Nobilitatis Compendium.
Nec difformem *RegiDolorum* dubita Imaginem:
Ad genuinam similitudinem, ne quid deesset,
Omnes penicillos, Theandrico madentes sanguine, corpori appressit, & expressit.
O & pretiosam Bernardi animam!
Quâ redemptum est pretio, universum genus hominum,

Jntimiùs uni illi Chriſtus applicuit:
Quaſi tanti valeret Chriſto, quanti mundus valuit.
Novum ego, velut mundi Corredemptorem Bernardum crederem:
Ea ſuſtulit omnia, quæ DEUS ſuſtulit:
Nevè ampliùs patiatur Chriſtus,
In faſciculum collegit, patiendi inſtrumenta:
Arctiſſimisq; tenet Amor brachiis.
Ne alienus furor prædam rapiat.
Huc inopes animæ concurrite:
Omnem theſaurum apud Bernardum, Chriſtus depoſuit,
Et Bernardus eſt depoſitarius,
Vel divinioris fiſci Theſaurarius:
Omnium ſalutem poteſt exdividere,
Quam unus potuit comprehendere.

ELOGIUM LVIII.
BERNARDUS

Quoties cibũ ſumeret, tormentum ſubire videbatur.

BErnardo nihil delicatiùs ſapuit, quàm inedia:

Nihil

Nihil ſapidiùs arriſit guſtui, quàm ſolo nutriri fletu.

Amaræ aliis lacrymæ, fuerunt illi ſaccarum,

Inanis ſtomachus menti convivium.

Quoties ad triclinium vocari audiit, putavit citari ad Lithoſtroton:

Et ad cænam pulſari, velut ad Capitalis Decreti ſententiam autumavit.

Quo panem ferro, eo ſe in fruſta concidi ſenſit.

Aliàs patiendi avidus, hujus ſolùm cataſtæ nauſeator.

Nutrimentum corporis, inſtar fatalis detrimenti: Convivia, ut animi habuit convitia.

Nempe Vir DEO ſatur, nihil aliàs creatum eſurire potuit.

Naturalem cibi extinxerat appetitum,

Dum tantùm ea, quæ ſupra naturam, & ſupra appetitum ſunt, appetiit:

Si quid guſtandum contigit, quod gulæ ſapuerat, Violentum guſtui eſſe debuit.

Bis itaq; Bernardus Martyr:

Sive dum jejunat, ſive dum comedit.

Jejunus ſanguinem DEO immolat, quem cibus gigneret:

Comedens toties moritur, quoties ſepulchrum beſtialium cadaverum eſſe cogitur. Malè

Malè tamen ſanum Bernardi ſtomachum ne crede:
Hæc nutrimenti nauſea, immortalium ſpirituum eſt conditio:
Vivunt æterni ſpiritus, quos æternat abſtinentia:
Unico deberent corrũpi modô, ſi alii poſtularent.
Nec ægrotum cogita, quamvìs cibum morbo pejus averſetur.
Integra hæc ſanitas, quæ reſtaurari quotidie cibo non indiget.

ELOGIUM LIX.

Ciſtercienſibus in agro metentibus, è fronte ſudorem tergit Deipara.

LAborant in agro Ciſtercienſes Operarii,
Et Ciſtercienſibus MARIA collaborat.
Digni Cooperatrice tantâ operarii, & operariis Cooperatrix digna.
Metebant in agro ſegetem, æternitatis horreo meſſores maturiſſimi. (*a*)
A Patre Agricola conductos intellige, quos Patris Agricolæ, adjuvat Filia.
Exarſerat hinc cælum ardentiori ſyrio,

(a) *Pater meus Agricola eſt.* Joan. 15.

Ut

Vt æſtu amorem in operarios teſtarêtur.
Flagravit innubis ſol ſplendidiùs, illuſtraturus agriculturam, cæli dignam oculo.
Feſſæ metentium ſudarunt frontes: vix aliàs exulis Adami poſteritas cenſerentur, niſi panem in ſudore vultûs comederent.
Adſtitit Cæli Regina, frontium guttas colligens:
Tu gemmas cogita, immortali coronæ inſerendas:
Singulorum dum tergebat tempora, æternam notabat ad lauream:
Hi jam ſatìs patuêre candidati ad præmium, Tantâ loti Manu:
Sudor ipſe ingratum acorem amiſerat, hauſtus Mari Gratiarum.
Quantùm & ſalſus ille liquor, ſapere debuit!
Quem manu condiverat Cælitum Domina,
Ut ſitienti talis poculi DEO propinaret.
Erigite frontem Divini Agricolæ:
Quæ tergit, eadem coronat palma.
Colligetis & ipſi feſſarum præmia frontium:
Dum ligatis manipulos,
Manipularii patientiæ Milites, quibus Caſtrorum Acies Manus erat.
Jam vos præivit in cælum ſudor, cùm alios ſua ſequantur opera.

Antetulit eum Vobis MARIA;
Ut in præmium menſura tritici in Elyſiis,
Veſtro humectata imbre refloreſcat.

ELOGIUM LX.

Per Ciſtercienſium Ordinem Hiſpania à Maurorum jugo liberata. Radeſius.

DEſine ambitio his trophæa ſtruere, ſed patibulum ſtrue:
Qui ut Reges ſint, fures Regnorum fiunt:
Imperia melioribus rapiunt, ut peſſimi dominentur.
Ciſtercienſium Ordo Hiſpaniam Regi ſuo, & Regem Hiſpaniæ reſtituit:
Recepit Regnum, ut alteri daret:
Et glorioſiùs eſt regna dare, quàm regnis imperare.
Vires Ordinis hujus collige ex Viris,
Et Viros ex viribus.
Ex Hiſpania ejecerunt Mauritaniam:
Id eſt veriores Alcidæ, Occidentem monſtris exemerunt.

Liber-

Libertas Patriæ per eos vindicâta, ceu per primogenitos Iberiæ Liberos:
Ii ſunt Grandibus Hiſpanis Grandiores,
Et Barbarorum columnæ terminales.
Soli recalcitrârunt hoſtibus,
Quia hoſtes iis, nonniſi ad talos parvi,
Quibus mens Cælo contigua.
Expulerũt primo Maurorũ mores, poſtea Mauros,
Secuti ſunt ſua vitia Mauri extra Regnum,
Innumeri extra mundum.
Rediit ad veram Religionem Fortuna verior,
Et patuit in Mauris, falſam eſſe ſemper fortunam,
Religioni falſæ comitem.
Teterrimi Nigritæ, Ordini candido antipatici,
Vaſtiſſimo etiam Regno, ſimul claudi non poterant, ob antiperiſtaſim.
Genuini Lemures, genuinæ Angelorum Hierârchiæ cedere debuerunt, & cadere.
Ut emicuit in campis Ordo niveus, nigri Carbones refrixêre.
Sacræ militiæ authorati Proceres, devotam aggreſſi Barbariem;
Sic pugnârunt ſine ſui diſcrimine:
Ac ſi meras hominum umbras oppugnarent.
Amavit Hiſpania ardorem in Ciſterciis bellicum,

Eundem agnovit ex ambustis Maurorum cadaveribus.
Mirata suas Valles, Martialibus incendii ruderibus impeditas,
Et larvas exhorruit etiam mortuas.
Tandem se non larvatam exhibuit Hispaniam,
Postquàm majestatem, & togam accepit à Cistercio.
Agite triumphum Viri Triumphales!
Splendidum accendunt vobis rogum, adusti Titiones.
Quo Vestra reponam spolia, trophæum non excido:
Herculeæ in Hispaniis columnæ, sint manubiorum bajulæ.
Et tantæ *plus ultra* victoriæ.

ELOGIUM LXI.

Ordo S. MAURITII, Regulam accepit à BERNARDO, Militaturus contra Hæreticos. Sacræ Inquisitionis Tribunal à Cistercio inchoatum.

POst liberatam per Cistercios à Mauris Hispaniam,
Libertas Religionis falsæ, erat captivanda.
Ex emortuæ hydræ halitu, teterrimum vaporavit venenum Hæresis.
Afflavit hæc, pestiferâ contagione Hispanias,
Nimirum æternatur successio vitiorum;
Nec Ecclipsis vanescit statim,
Perseverat in morbis, & posteritate symptomatũ.
Sic, nec Machometana Venus, excisa stirpitùs,
Sobolem reliquit Synonimam, Errores Hæreticos.
Hi malè perspicacem cæcaverant Hispaniam,
Sed à Cisterciensium clypeis, lux ei reddita.
Ordo S. Mauritii à Bernardo tesseram acceperat, & animum vincendi Hæreses.
Pugnatum est armis adversus corpora,
Feliciores laureas animæ porrexerunt.
In avia & deserta, ex Hispaniis Errores sunt depulsi,
Et tamdiu errant alibi, cùm redire nequeunt in Hispanias.
Infinitæ ab erroribus mentes, ad rectum iter redierunt, & stant in termino.
Hispania tunc audiit Catholica,

Sed nomen istud promeruit Hispaniis hæc Familia,
Titulusq; nunc Serenissimus, dum Regius,
Primo fuit Cistercius,
Quia in latebras fugerant lupi,
Sagaces delecti è Cisterciis Venatores,
Scrutati sunt spelæa, & fraudes absconditas.
Declarârunt rete Petri, æquè idoneum esse capiendis piscibus, ac feris.
Cùm Sanctè inquirunt Sacras orco prædas, Sancti sunt *Inquisitores* dicti.
Ab iis Sacra Inquisitio, & Inquisitionis sanctitas dimanavit.
Beatus à Castro Petrus, hoc munimen Ecclesiæ fundaverat:
Qui si non petra, saltem Castrum est Vaticani:
Et quia fundamentum esse non potuit, Ara fuit fidei supra petram.
Huic Inquisitionis Tribunali, magnus accesserat arbiter Dominicus.
Postea munus istud, in suum transtulit Ordinem,
Et factus est tanti Tribunalis, quasi Mareschalcus.
Ne fur immigret, Divino prospicit Ovili, quasi Ecclesiæ Oculus:

Ne

Ne Tyrannus error dominetur, consulit Provinciis Orthodoxæ Senator fidei.

Inde & Dominici Ordinis adverte fontem:

E Bernardi Vallibus dimanavit:

Assvetus Religiosissimis Bernardi alumnis Dominicus,

Sanctum contraxit habitum.

Habitum induit in claustro Cisterciensium Sanctus Dominicus.

In Diœcesis Oxoniensis Claustro, incarceravit mundum:

Illic & vestimento Religionem expresserat, quam tulit animo.

A Cisterciensi Abbate, pium accepit indumentum, puta & amorem indumenti.

Iiq; sunt Cistercienses, qui militantis Ecclesiæ Ducibus, Investituram porrigant.

Tantus ergo Vir, è Bernardi exivit domicilio Patriarcha, quo intravit Canonicus.

In hoc Zodiaco, exortum est Clarissimum Sidus Ecclesiæ.

Sapientissimis mundi Doctoribus.

Bernardi Monasterium, fuit Magisterium.

Qui toto prædicantur Orbe, Prædicatores Evangelii,

De hac processerunt Cathedra:

Fateriq; debet posteritas:

Quod

Quod ornatiſſimus Dominici Ordo,
Primum à Ciſterciis acceperit ornamentum.

ELOGIUM LXII.

Sanctitas Ciſtercienſis Ordinis, ad uſum Sigilli, Mariana utitur Effigie

NE Marianam in Ciſterciis dubites Familiam,
Sigillum vide:
Suam illis in Stemma Effigiem, MARIA credidit, quia in filios adoptavit:
Avos Atavosq; ne reſuſcites Ciſtercium:
Ad ſplendorem Familiæ ſufficit Mater una:
Jlluſtravit Ordinem ſplendidiùs, quàm illuſtrarent fumoſæ Imagines.
Omnibus cæli ſplendoribus coronata,
Omnem huc lucem contulit, quam Cælum habet.
Obſigillavit ſeipsâ univerſam Bernardi Proſapiã,
Jpſamet tanti Theſauri Cuſtos.
Et hæc Proſapia, videtur Marianum eſſe Myſterium
Jlli uni obſeratum.
Quodq; illi uni pateant hæc Monaſteria, ſignaculum indicat.

Hæc

Hæc Cistercienſium eſt hæres authentica,
Hæc Ordinis anteſignana:
Et Cistercienſes ad ſucceſſionem Marianam deſignati,
Sic dum ſignati.
Impreſſit ſe iisdem Diva Virgo, & illi exprimunt Virginem in cera, & animo.
Ad tantam effigiem Cerei,
Singuli velut viva MARIÆ epiſtola,
Et diploma legitimum ad Reginalis Officia Majeſtatis.
Quamvis autem omnia Bernardi domicilia, velut Nazareth autumes,
Et Cistercienſes ille ſint diſcipulus,
Qui fuit MARIÆ vice-Filius: (*a*)
Acceperunt enim JESU Matrem in ſua,
Ut fundus poſſideret Dominam ceu ſuam. (*b*)
Qui tamen & in aris MARIÆ cohabitant,
Æquè ut domi commanent:
Numerantur Cistercienſes, publica ſanctitate Sancti & Sanctæ *125*.
Sat magna Reginæ familia, morum ſimilitudine illi propria.
Ad Marianum Ectypon efformati, (*c*)

(a) *Joannes Evangeliſta.*

(b) *Alluditur ad Joan. 19.*

(c) *In Sigillo expreſſa.*

S Cen-

Centum viginti quinq; Marianas imagines, pro una MARIÆ reddiderunt.

Felices & tabulæ, & ars felix in tabulis.
Demum ſui artifices feliciſſimi,
Dum architypo ſimillimi.

In Benedicti monologio, plures lege Divos è Ciſterciis:

Huic Ordini omnia ſunt cum Benedictinis communia.

Præter colorem veſtimenti.

ELOGIUM LX.

Sæpius excitantur ab Angelo Ciſtercienſes ad Pſalmodiam, & pſallentes thurificantur ab Angelis.

QUàm grata ſit Superis Ciſtercienſium pſalmodia!

Tædio afficiuntur Cælicolæ, ni pſallentes audiant:

Deſcendit Angelus de cælo ad cænobium,
E choro ad chorum:

Dum æmulos non invenit, excitavit.

Ange-

Angelicam ego illam arbitror ſomnolentiam,
A DEO immiſſam, per Angelum excuſſam.
Sic dormientes Angelus in Angelo excitat ſpecies,
Ut unus alterum alloquatur.
Poſtquàm ventum ad pſalmodiam,
Divinus eſſe cantus debuit, cui ſacrificatum eſt thure.
Quod Angeli adolent thimiama DEO, cum orant:
Oratoribus idem adolent Ciſterciis:
Sic orantium Majeſtatem confudêre cum Majeſtate exorata,
Increatum Verbum in pſallentium vocibus venerati:
Odoratus eſt DEUS in Ciſtercienſium Templo odorem, qualem in cælo ſentit,
Fecitq; Theandrici honoris participes,
Quos nactus erat ſui laudatores.

ELOGIUM LXI.

Quâ BERNARDI cadaver ablutum aquâ, diu hæc incorrupta morbos ſanat.

PIerii fontes areſcite!
Fabuloſum vos enteum & inſaniam,
Bernardi latex vitam inſtillat, & ſalutem.
Quâ Viri Cadaver ablutum, aqua in poculum ſanitatis abiit:
Nempe momia illa, aquam fecêre medicam,
Et potionem Hypocraticam Divi pulveres condivêre.
Quis ampliùs ambigat exanimes Divos, vivere: Si vivificant?
Mortuos ſpirare Cælites, ſi langvidos vegetant?
Quidquid tangunt, ſalubri contagio afficiunt.
Propagatur innoxia peſtis per hominum ægritudines, & ægritudinum eſt vita.
Documentum eſt vivum Bernardus mortuus:
Ex illius morte immortalitatem exſuxit aqua.
Et facta eſt ad immortalitatem vehiculum.

ELO-

ELOGIUM LXII.
BRUNO
&
Cartusiana Religio,
Fundata Anno MLXXXIV.

BRuno Coloniæ Agrippinæ natus,
Ex Agrippina Nero sui prodiit.
Vix homo,
Jam Monachorum Pater dicebatur.
Mores exhibuit in prætexta,
Quales olim erant in cilicio.
Sub primum ætatis ver, reflorescebat in illo Cartusia:
Succrescenti annorum flori,
Solitudinem, & eremum implantavit.
Parisios Studiorum causâ profectus, sic profecit in literis,
Ut adeptus lauream, de Philosophia & Theologia triumpharet.
Jam Doctor, inter homines, discere voluit, quod sciunt Angeli,

Et vitam Angelos docuisset Angelicam, hi si homines fieri potuissent.

Usus est DEUS ad conversionem Brunonis, efficaci Apostolo ab inferis.

Pœna enim unius, est magistra in altero, innocentioris vitæ:

Et emendant plurimi, quod in uno plectitur.

Quidam Parisiensium Doctor, qui vivus desipuit,

Veram mortuus docuit sapientiam. (*a*)

In feretro nactus Cathedram, Jus Divinum professus, & Judicium,

Promulgavit se condemnatum,

Et ab inferno absolvit innumeros.

Audivit Bruno lamentantem larvam, & sic timuit,

Ut extra mundum fugerit.

Brunonem abscondit in sylva Cartusiæ, ab igne tutior infernali.

Extra mundum enim timeri infernus nequit;

Quia extra mundum non est.

Adjunxit DEUS Brunoni Sodales sex.

Ne deesset tantæ virtuti testimonium.

Bruno inter eos septimus;

Viriq; septem, fuerunt, septem mundi miracula.

Hugo Cartusianæ Diœcesis Antistes,

Septem venisse in eremum stellas somniaverat,

Somnium abiit in historiam.

(a) *Brunet refert in fastis Marianis.*

Tot

Tot venerant Pleiades, hominum crimina deplorantes.
Sensit humorem eremus Cartusiæ,
Brevi in Paradisum refloruit.
Nec obscuri esse diu poterant, qui latere cupierunt:
Fecerunt lucentes lucos.
Nec aliis cohabitare videbantur feris,
Quàm, quæ finguntur esse sidera in Zodiaco;
Ursi Leones, scorpii.
O Serenissimos Imperatoris Christi septemviros!
Electores sunt cælestis Imperii, & jam electi:
Nec ordo aliud esse videtur
Quàm Cælituum Monarchia.

ELOGIUM LXIII.

TOt deinde Brunonem secutæ sunt stellæ,
Ut cælum effecerint.
Nec jam malè Cartusia nuncupetur stellarum Patria:
Fundatus est Ordo qualis est siderum, cui Bruno sol.

Eas

Eas virtutes habuit ut pænè singulis diem addiderit,

Et radios, quibus beati coronantur.

Ne carnem sui ament asseclæ, præcepit, ut odissent ex voto.

Sic ora obseravit regulæ vinculo,

Ut singuli sint linguæ cæli, & mutæ.

Prodiit ex hoc ordine Urbanus secundus:

Inter difficillimas Ecclesiæ tempestates Cynosura,

Meruit imperare Orbi Christiano, qui diu Brunoni paruit.

Postea Archiepiscopatum Regiensem, Magistro detulit invito.

Sed maluit hic latere in Sylvis,

Ne in luce & aprico decoloraret animum.

Abscondi tamen in hac familia Obelisci nequeunt,

De profundissima eremo eminent verticibus.

Lecti sunt inde Cardinales 3. Archiepiscopi 14, Episcopi 43.

Intra deserta educati, faciliùs de latronibus Ecclesiam udituri.

Scriptores Clarissimi Quadraginta quatuor, plurima ediderunt volumina.

Ipsius DEI soliloquia.

Cum *Societate JESV* arctiori vinculo Cartusia connectitur:

Et

Et est quasi altera *JESU Societas.*
Utraq; Religio de suis participat meritis, & virtutibus.
Et bene una meretur de altera.
Nulla inter illas invidia,
Quibus decora sunt communia
Augmentum unius, est statura alterius.
Hujus splendor refringitur in montes Cartusios.
Et quidquid de montibus Cartusiis defluit,
In minimam Societatem derivatur.
Habemus gratias, quas recipimus, & nostras reddimus.
Incolimus JESU Socii per vos montes, deserta, solitudines, & tacemus.
Vos nobiscum per Indias, Japonias, totumq; Orbem discurritis,
Et Christum prædicatis.

ELOGIUM LXIV.

Ad Sepulchrum Divi BRUNONIS emanat fons, qui cæcis, surdis, ægrotantibus est saluber.

BRunonis virtutem fons imbibit, & effundit,
Et ex eodem Bruno effluit vivus quotidie.

Perennat in hac aqua vir in homines profusissimus:
Quotidiè novus, & antiquus semper.
Incessanter in prodigia exit, & manet integer.
Quasi coalitus ex miraculorum magis temperamento, quàm humorum:
Cùm alii resolvantur in tabum, & putridem,
Ex eo dimanant miracula.
Flevit Calabria dum Brunonem mortuum sepelivit,
Et mæror pluebat ex oculis:
Flet sepulchrum perenniter,
Et rorant gaudia.
Ipsæ tumuli lacrymæ, alienis parentant morbis, quos hauriunt;
Non Brunoni mortuo, cujus cineres morbis propinant ut medicos.
Manuducuntur cæci ad prodigiosum laticem,
Et priùs palpant miracula, quàm videant.
Crystallinum humorem accipiunt, quàm infundant palpebris.
Accendit lumen frigida, & solis fontem se indicat.
Adrepunt & claudi, priùs in spem, dein in pedes eriguntur.

Salu-

Saluberrimus liquor exſugit humorem noxium, dum talos oſculatur.

Ut irrigat aridos ſtipites, vivificat.

Refloreſcunt plantæ, poſtquam, pia inundatione maduerunt.

O quot Brunoni flectuntur genua! olim male flexa,

Suos adoratores habet , dum poplites reſtituit ut adoretur.

Advehuntur & variis ægritudinibus depoſiti:

Unum omnibus balneum ſufficit,
Et omnes abſorbet thermas,
Omnigenamq; propinat ſanitatem,
Velut fons ſcaturiret Salvatoris.
Sat abundè gloriæ Tuæ providiſti Bruno!
Tu fonti Tuo fons, toties coronaris,
Quoties qui hauriunt, coronant fontem.
Ne areſcat Cartuſia bonus irrigas agricola,
Et miraculoſa eſt irrigatio,
Ut revireſcant miracula.

ELOGIUM LXV.

Cartusianæ Religionis rigor, tanquam fornax Spiritûs Sancti, aurum purgans, & scoriam separans.

Iacobus de Vitriaco Cardinalis asseruit.

MArtyrum Officinam dixi Cartusiam, dum *fornacem* appellavi.
Tyranno carent & carnifice;
Sibimet Tyranni & Carnifices.
Violentas proprio corpori manus inferunt,
Ut violenti cælum apprehendant.
Utuntur divino igne, & sunt divinus,
Dum Clibanus est Religio.
Calefaciunt Orbem spirantes in rogo victimæ;
Et rogus illis Cartusia, illi sunt holocaustum.
Teporem ignorant viri, & mentis hyemem.
Fornax iis Religio, qualis in cælo accenditur,
Ex qua, pleno æstas prorumpit incendio,
Et est omnium virtutum salubre Solstitium.
Fornacem hanc, sanctus, seipso accendit Spiritus,
Et ignem in mundum difflat.
Ardent quamvis, nec stramen nec lignum Cartusia suppeditet.

Perpe-

Perpetua hìc Pentecoste, sed ignis lingvosus abest in domo silentii:
Singuli sunt aurei, quia Ecclesiæ thesaurus singuli,
Expurgat in iis flamma scoriam,
Et pœnè rigor absumit cutem, ut viros ceu medullam intelligas.
Sunt Regni cælestis moneta
Sine falsi scrupulo:
Valent tanti, cælum quanti vænire potest;
Ne aurum esse dubites, semper silent.
Nascuntur in montibus, nemini graves,
Sibimet onerosi.

ELOGIUM LXVI.

Domus Cartusiensis, & locus habitationis illius, situs est in montibus, & scopulis, & petris, ut sit potiùs habitatio Angelorum, quàm hominum.

Blesensis ait.

FIlii excelsi omnes, quibus Mater est Cartusia, in montibus habitant.
Sequuntur animorum sublimitatem corpora,
Repere per humilia nesciunt, mente & pede.

Egressi

Egressi hominis statum, & hominum consortia;
Concives superûm, quia poenè nubium inquilini.
Vix uno distant à cælis stadio,
Vicini cælicolis fundo, & intimi moribus.
Tali confinio pæne affines, & Patriotæ siderum.
Audiunt quotidie Angelicos concentus è propinquo,
Et alterno respondent choro,
Audit respondentes, Angelorum Hierarchia, & vinci se intelligit.
Una videtur esse familia, ex Cartusiis & Cælitibus,
Quia poene una habitatio:
Animorum est conjunctio, & locorum.
DEUS ipse illis domesticus, & palàm præsens.
Videtur ab iis ferè oculo,
Et ob vicinitatem, vix in ænigmate.
Parvo labore cælos adeunt, modico dissiti intervallo.
Descendunt & cælites passibus exiguis:
Forsitan sine alarum adminiculo.
Singuli montes, Atlas merentur appellari,
Et virorum singuli, Atlantes cæli.
Fulciunt illud humeris, & tenent manibus,

Nullus

Nullus hostis adire potest Cartusios, quos tuentur scopuli.

Unde cecidit dæmon, non nititur ampliùs,

Ne cadat iterum.

Arces cogita Brunonis Monasteria,

In eminenti situantur, ut securitatem Ecclesiæ provideant.

Ii sunt excubitores perpetui:

Qui de montium, specula saluti humanæ prospiciunt.

Possevinus.

ELOGIUM LXVII.
DOMINICUS
&
Ordo Prædicatorum fundatus
Circa Annum MCCXX.

ANtequàm in lucem prodiit, jam illuſtris :
Cæſarum, Regum, Principum, ter felix Abavis.
Guſmanæ familiæ palmes,
Unde, & rami in ſceptra ſunt reciſi.
Hac de ſanguinis arbore ædificata Domus Auſtriaca :
Et Imperatores æternaturi contribules ſunt Dominici.
Inde tot thronos Faber extruxit Honor,
Quot pœnè regnans Europa inſidet :
Guſmanorumq; antiquitas vel nunc in Regibus juveneſcit.
Et Principum primi, ejus familiæ ſunt poſteri.
Clarus ergo abnepotum ſereno Dominicus,
At ſuo clarior.

Mater

Mater gravida caniculũ ſe parituram ſomniavit,
Ut portentum pareret glorioſum.
Nimirum *Paſtor Bonus*, à Matris utero Dominicum vocavit ad ovium cuſtodiam,
Timebantq; hunc lupi, antequàm natum.
Catulus facem prætulit, cum viatorem inciperet,
Jam ſibi lux, & mundo jubar,
Exiturus ſplendidè ab alvi tenebris,
Et quæſiturus cum luce inter homines,
Lucis filios.
Cùm Toloſæ Epiſcopo interfuit Lateranenſi Concilio,
Et parem univerſali Eccleſiæ ſapientiam demonſtravit.
Locutus articulos fidei, quos Chriſtianus Orbis crederet,
Et hos ſic elucidavit clarior,
Ut fidem ſcientia, fides ſcientiam explicaret.
Mirati ſunt Patres, in uno, infinitas dotes Dominico:
Ut Filios hæredes relinqueret ſic dotatos,
Pœnè rogârunt, Patriarcha familiam inchoaret.
Annuit votis Eccleſiæ, & ordinem condidit,
Ordoq; hic fax illa eſt,
Quam ore catulus prætulit.

Nesciunt loqui, nisi splendidè, & ardenter Dominici Posteritas:
Lucernam instar linguæ, & pro lingua gerunt;
Videnturq; Catuli splendorem mundi comedisse.
Jam Religiosus votis, qui pridem virtutibus Dominicus,
Jecit tam profunda humilitatis fundamenta,
Ut pœnè infernum oppresserit.
Tantam deinde molem superposuit,
Ut cælum successoribus resarârit.
Nihil illo modestiùs, nihil depressiùs:
Animum intra tumulos etiam demiserat,
Ut vivificaret mortuos.
Tria cadavera nutu Dominici surrexerunt rediviva: (a)
Luculentum Thaumaturgæ virtutis Testimonium

(a) Alluditur ad illud Deut: 19. *In ore duorũ aut trium testium stabit omne verbũ.*

ELOGIUM LXVIII.

Visus est Dominicus ab Honorio III Pontifice Max. Lateranensem Ecclesiam cum Assisinate Francisco suffulcire.

Duo sunt Ecclesiæ fulcra, Dominicus, & Franciscus:

Gemi-

Geminæ Christiani Orbis Bases:
Ambo Atlas, & Alcides ambo:
Neuter altero primus, & secundus neuter:
Ordinem amittit numerus, ne unum præponat alteri,
Et discernat unum ab altero.
Magnum est mysterium in dualitate unitas,
In unitate dualitas.
Hinc, & inde latera sustentant Lateranensis Ecclesiæ,
Unum eidem Laterano cor.
Ambo tamen dextri, & sinister nullus,
Quamvis duo sint Præsidia contra hostem,
A dextris venientem, & à sinistris.
Quantarum sint virium, moles indicat jacta in humeros.
Gravissimi homines onus sustinent,
Sub quo curvarentur, qui portant Orbem.
Marmoreas esse columnas ne dubites;
Palatium erigunt Regi Regum, dum tenent.
Nec de sanctitate horum ambigas:
In quibus sanctorum recumbunt Sancta Atria,
Quæ dum tangunr, sanctificant.
Ii sunt Fabri Ecclesiæ,

Aſſiſtunt, ut vel reſtaurent, vel ædificent.
Totoq; ampliaturi Orbe Romanam ſedem,
Ne devient ab Archetypo,
Tranſſumunt plantam Laterani.

ELOGIUM LXIX.
DOMINICUS

Tunc exſpiravit, dum cantatum eſt: Subvenite Sancti DEI: occurrite Angeli.

CYgnæam efflans animam Dominicus,
Moriebatur ut olor, funeris cantator ſui.
Qui nihil dolendum in vita geſſerat,
Lethum illi lætum eſſe debuit.
Chorum inceperat, quem inter choros continuaret Angelorum.
Ad numerum vivebat Pſalterii, & vixit.
Apollo divinior, ubi mortis tragædiam finiit, cecinit.
Dum ſubveniri à Sanctis poſtulavit,
Advenit Sanctis.
Aderant præſentes Divi, quibus ut eſſet intimior, carnem depoſuit.

Ut

Ut immortales ſpiritus adverterat,
Immortalitatem invidit, & rapuit.
Unum doluiſſet in morte, ni, ut Angelus inter Angelos fieret,
Mori nequiiſſet.
In magna ergo Cælitum pompa,
Cælum ſubiit triumphaliter Dominicus.
Tam magna viri anima, plurium brachiis Superûm portari debuit.
Multorum ſemitas viator triverat,
Multorum cucurrit viâ ad gloriam.
Occurrerunt Angeli tanto hoſpiti, &Concivi:
Naturam excipias, fratrem compellârunt.
Riſit cælum ſereniùs, ab una illuſtratum umbra.
Cucurrerunt ad coronam plures ſtellæ,
Quibus locum una ſuper frontem deſignaverat.
Bono Chriſti operario, collata meſſis gloriæ,
Quam plenus cæli autumnus peperit.
Jlli maturiſſimus adoleverat,
Quam ut colligeret, in Auguſto ad æternitatis horrea properavit.
Ne Dominicum lugeat poſteritas:
Teſtamento legavit illi agros ſegete uberes.
Habet, unde quiſq; ſuum cum exultatione portet manipulum.

Bononiæ tandem ſepultus
Virorum nempe optimus
Vix alibi melius,
Tumulari potuit.

Ordinis Prædicatorum ſapientia.

IGnorat ſe eſſe hominem,
Qui ſapientem Dominici Ordinem neſcit
Romæ ad Minervam habitant:
Et illorum ſcientia;
Totius Orbis eſt Minerva.
Hoſpites ſunt aliis Muſæ:
Huic Ordini Pallas domeſtica,
Et vel ſoror eſt, vel nutrix ſingulorum.
Scire illis idem, ac vivere:
Neſciunt cogitare, niſi ut Aquinates:
Diſputare, niſi ut ipſa diſputaret ſcientia:
Prædicare, niſi ut prædicabant Apoſtoli.
Omnes ſunt Sidera,

Qui

Quia esse una non potest stella,
Quæ in fronte Dominici fulgurat,
Hic firmamento usq́, caput abdiderat,
Tertium suffulturus Cælum Atlas:
Charactere cælesti signavit DEUS viri frontem,
Quidquid enim cogitaverat, cælum erat.
Auroram ego Dominicum existimo:
Præluxit Soli Aquinatico,
Et primæ magnitudinis Sideri, Alberto,
Qui cælestem in Ordine fundarent sapientiam.
Duo hi Prædicatorum Professores,
Unus Angelis æmulus, & pœnè Condiscipulus:
Theologiam homines sic docuerat,
Ut Angelos docere potuerit.
Ultra ejus doctrinam, vix aliquid clarius sciri potest in cælo, si gloriæ lumen ademeris.
Ultra, quod definivit, vix aliud est ab articulo fidei.
Et nunc cùm nonnullis, ut articulum sentiret fidei, si illis conviveret.
Alter Professor & idem ingenio, Albertus,
Obaltitudinē scientiæ, cognomen Magni induit.
Implevit Orbem octingentis voluminibus, & seipso:
Satis unus omnibus bibliothecis,

Sibi

Sibi ipſi vix ſatis fuit.
Sic rimatus eſt naturæ abdita,
Ut de Philoſophia pœnè ſupernaturaliter ſcripſerit.
Sic veteres tranſgreſſus Philoſophos,
Ut ubi erraverint, unus omnium errores correxerit.
Alter mundi Salomon
Niſi quod in ſenio, à ſapientia non deſipuerit,
Sed ſapientiæ ſit oblitus, non innocentiæ.
Talibus ergo Magiſtris Thoma, & Alberto,
Geminam Dominici Ordo complexus ſcientiam,
Et utramq; comprehendit.
Theologiam æqualiter ferè ſcit in via, ut videtur in Patria;
Philoſophiam connaturaliter intelligit;
Et hæc ſcientia videtur eſſe innata Prædicatoribus,
Non acquiſita.

ELO-

ELOGIUM LXXI.

Ordinis Prædicatorum Honor.

HOnorius III Summus Pontifex, Ordinem hunc approbando, honoribus destinavit.
Nemo in iis, qui Infulam aut non meruerit, aut non tulerit:
Et nemo sic tulit, quin Infulæ radium addiderit.

Innocentius V.
Benedictus XI.
S. Pius V.

Sub Tarentesii, Iervisii, Chislerii vocabulis;
Priùs Innocentes, Benedicti, Pii, vixerunt, in Dominici familia,
Antequam hæc nomina, in summum abiierint titulum.
Cardinales 45. Senatum Ecclesiæ ornaverunt, & illos Ecclesia.
Ad purpuram, habitu Dominici, & morum, Candidati.
Archiepiscopos CXXIX commodavit Regnis, hæc Religio, non amisit.
Servàrunt singuli Dominicum sub Archiepiscopis:

X Nec

Nec virtutem honor decoravit, ſed honorem virtus.

Epiſcopi DCCLXII Prædicatores recenſentur.

Felix dignitas quæ in tot Apoſtolos incidit,
Quot fecit Præſules.

A tot ſæculis Sacrum alii erudiunt Palatium
Et ſunt Romanarum Magiſtri aurium, (*a*)
Romanæq; literæ iis diſcipulæ.

Symbolizant in ſcientiarum guſtu, cum mundi Oraculo.

Prælibant ſagaciore oculo, quod ſanctiſſimis propinent auribus.

Deſine pluribus agere Muſa:

Huic, quem laudas, ſola Elogii ad numerum placet brevitas.

(a) *Sacri Palatii Magiſter è Dominicana familia.*

ELOGIUM LXXII.

Sanctitas Prædicatorum Ordinis.

SAnctitas Dominicani Ordinis, Orbem conſecrat univerſum,

Chri-

Ordinis filii.
Christianis Cælitē imprimunt vitam, quā agunt:
Ethnicis Christum inserunt, quem vivunt:
Indefessi Prædicatores Evangelii, vel dum tacēt.
Ut Christianos meliùs Christo-formes reddant, faciunt Marianos.
Dum MARIAM precibus orānt, ornant.
Loquuntur rosas, & vivæ in eis loquuntur rosæ.
Contexunt Rosarium, inde MARIAM publicant coronatam, & coronant.
Dum sic eidem supplices, decernunt Ethnicis supplicium.
Rosario fugati sunt Turcæ & Mauri an. 1571.
Ut fugantur rosis araneæ.
Cantico magis profligati, quam Classico,
Et verbis cæsi potiùs, quàm ferro.
Captivi illaqueabantur prius rosario, quàm compedibus.
Miraculum fuit victoria, ut declararetur miraculosa fuisse Oratio.
Triumphat quotannis Rosarium utroq; sexu applaudente,
Quod & Martem barbarum, & Machometanam Venerem profligaverit.
Magna hæc orantium Prædicatorum Sanctitas,
Major perorantium:

 Ut

Ut Dominici Apotheosim primò decretam, populosiùs celebrarent,
Centum millia Hæreticorum introduxerunt Romam.
Tot Acephali homines, subdiderunt pertinax ingenium Romano Capiti,
Ut simul Dominicus in Ecclesia,
Ecclesia in Dominico, de ingeniis hæreticorum triumpharet.
Ne nudum Sancti Titulum, acciperet Dominicus,
Sanctus declarari noluit,
Nisì Sanctus Hæreticorum Triumphator.
Dominico jam Sancto, accesserunt è Dominicanis Sancti & Sanctæ 15
Si omnes publico ritui proponeret Ecclesia,
Nulla dies esset non Dominica.

ELO-

ELOGIUM LXXIII.

FRANCISCUS Assisinas & *Ordo Minorum.*

Fundatus circa Ann. Christi MCCVI.

FRANCISCUS Assisinas

Assisii in Umbria natus, lux Evangelio.
Patriam statim credidit velut umbram, mundum ceu noctem:
Ut utramq; hanc illustraret umbram,
Eò fugit, quò eum non sequerentur umbræ.
Mercatorio prodiit vitæ gradu,
Brevì industrius Nundinator, mundum pro cælo commutavit.
Vestem, quam à Patre acceperat, eidem coactus restituere,
Ne vel filum superesset, quo retrahi posset ab æterni Patris obsequio:
Exuisset etiam cutem, si alium tegeret Franciscum, præter cælitem.
Ab illo rursus nudo, nuda Paupertas purpuram sortiri visa,

 Dum

Dum sese Reginam virtutum explicuit:
Virq; hic Thronus fuit Paupertatis,
Francisci familia Paupertatis Regnum.
Nullis facultatibus implebat cænobia,
Et cænobia nullam patiebantur habendi facultatem,
Ut majus superesset vacuum,
Quod seipso DEUS occuparet.
Vix discrevisses cellam à cælo,
Ubi nihil est, præter DEUM,
Et locus nihil est, præter cælum.
Soli illis nummi Numen,
Et illi divites cum Divis;
Sequaces Evangelii, relinquunt omnia,
Et in terris centuplum pœnè non recipiunt:
Ideo habent DEUM, vix non ex toto obligatum,
Et centupli debitorem.
Modicè illis munificus, & tantùm ad manticam liberalis.
Sed mirari desine:
Vulneratæ sunt Francisci manus,
Humanarum nihil rerum, citra dolorem attrectare possunt
Eædem divinis perforatæ Stigmatibus,

Ex-

Excideret ſubitò, quidquid in vola ſervare vellent.

Chriſtus Seraphini alas induit,
Ut cùm affixus Cruci ire nequiit, volaret ad Franciſcum.

Quantus Amor!
Humanæ naturæ, naturam immiſcuit Seraphicam DEUS,
Ut geminos teſtaretur affectus,
Homo-DEUS humanos, Seraphim-DEUS Seraphicos.

Novum amicitiæ Myſterium!
Sufficiebat mundo, ſemel incarnari Chriſtum;
Incarnatus aſſumit Angelum, in Franciſci commoda,
Bis eidem Crucifixus in Seraphino, & homine,
Bis & Salvator.
Velut & in uno, geminus ſalvari debuerit Franciſco,
Et homo-Franciſcus, & Franciſcus-Seraphim.
Ne jam dubites Fama, Virum hunc amicum Crucifixo.
Crucifixus genuinam ſui pinxit imaginem,
Affectu Seraphinum, vulneribus hominẽ.
Portat, ille Ducis ſui prælium in corpore,

Velut

Velut æmulus Crucifixo,
Velut Corredemptor.
Habet igitur ſuum hic Ordo Crucifixum,
Et Franciſcani magnitudine pares ſunt Cruci,
Solo Minores DEO Crucifixo.

ELOGIUM LXXIV.
FRANCISCUS
Prædicat Evangelium per ſe, & Minoritas.

ANtequàm Franciſcus circumferret Crucifixum vulnerato corpore,
Circumtulit inter Barbaros ore.
Ut coaluit Ordo Seraphicus, mox factus eſt Angelicus.
Quotquot fuêre Nuntiatores Evangelii, tot Angeli:
Et his propinquitas major cum Angelis,
Quibus affinitas, cum paupertate intimior.
Certè Angeli nihil poſſident præter alas, ſed in has fortè habent dominium, Franci-

Franciſcani duntaxat haberent uſum.
Volârunt tamen ſine alis Aligeri,
Inacceſſos ſubierunt Orbis angulos, & lapidem jecerunt angularem.
Ædificârunt illic Eccleſiam, ubi vix mundus eſſe putabatur.
Ipſemet Franciſcus, Saladinum adiit Tyrannum,
Et amicum reperit.
Regnabat hic in Syria, & illum regebat furor.
Aquilonem ſpirans, lunam aliter adorare noluit,
Nisì à ſanguine Chriſtianorum rubicundam.
Sitiit Martyrium, & Franciſcus, ſed Saladinus, noluit eſſe carnifex.
Portentum mundi prodigiosè immutatum
Viſo mundi miraculo.
Renovata ſunt antiquata Romæ, prodigia:
Ferociſſimus leo Saladinus, ſanguinis humani avidior, quo ſaturior,
Lambit Franciſci plantas,
Et hominem ſe exhibet, qui fera fuit:
Æquale cenſeas prodigium, non periiſſe Franciſcum à Saladino,
Sexcentos Martyres Romæ, non violatos à leonibus:

 Majus

Majus & Francisci Martyrium, caruisse Martyrio,
Quam si sexcentis interiisset Martyriis.

ELOGIUM LXXV.
Ordinis Minorum Sapientia.

(a) Alluditur ad illud Evang. *Revelasti hæc parvulis.* Matt. 11.

MAgna est Minorum Sapientia, (*a*)
A Patre cælesti revelatam acceperunt,
Ut per eos, revelaretur mundo.
Jllorum Magistri, pœnè solius Numinis discipuli:
Non ab hominibus didicerunt, quæ docent homines,
Nacti tam vasta ingenia, quæ solus impleret DEUS:
Et disci nequeunt Professores, nisi divino pariter Auditorum ingenio.
Sciuntur tamen hoc in Ordine:
Neq; enim vocari à DEO possunt in Minorū Ordinem, nisi ii,
Qui capaces sunt Magistrorum, & DEI.
Bonaventura Unus illorum Crucifixi Discipulus, & Magister Crucis:

Hac

Hac profecit in Bibliotheca, uno plena monumento. (a)
A confixo didicit libro, quidquid reprobandum ab amoris ſchola.
Ut Incarnata Sapientia pleniùs ſe Bonaventuræ infunderet:
Tot fontibus illi ſcaturiit, quot vulneribus patuit.
Liber ille intus, & foris ſcriptus, ne quid Bonaventuram celaret,
Explicuit ſe in cruce nudum,
Et per lateris cicatricem, ad animam usq; apertum demonſtravit.
Æqualis Thomæ annis, & meritis,
Uterq; Doctor, ille Angelicus, hic Seraphicus:
Unus tamen clariùs, alter ſcripſit ardentiùs,
Si verò uterq; ſol Eccleſiæ,
In neutro ardorem à claritate diſcrimines.
Docuit Seraphicè Seraphicum Ordinem,
Et doctrina ejus, quæ in Cælis eſt Seraphica:
Supra hominum ingenia evolavit, ſex alis ſubli-miùs,
Et ibi ſiſtit, ubi ſeptem ſtant Seraphim,
Et octavus ille jam conſtitit.

(a) Crucifixus dicitur liber confixus.

ELOGIUM LXXVI.
Eadem Minorum Sapientia.

ALter Minorum Magiſter Scotus,
Ut hunc credas Angelum, Subtilis eſt:
Subtilem DEIPARA fecit, ut de Conceptione opiniones expungeret
Docuit Philoſophiam, novus ſuo Ordini Ariſtoteles.
Credi inventor ejus poſſet, quia ſic innovavit, & ornavit.
Tam acutè Myſteria rimatus naturæ, penetraſſe credi poteſt.
In Theologia profundiſſimus, ad abyſſum pertigit,
Dum pœnè æquavit Thomam.
Si inſimul diſputaſſent vivi, dubium foret,
An non Scotiſta Thomas, vel Scotus Thomiſta, haberi voluiſſent.
Cum Sorbona altercatus pro DEIPARA, & Sorbonam DEIPARÆ fecit filiam:
Juravit illa in verba Scoti, & pœnè credit articulum fidei,

Quod

Quod ante Scotum problema credidit.
Nemo hactenus ad lauream admittitur, nisi Conceptæ Virgini,
Et Scoto, herbam porrigat.
Tantos Doctores sequuntur Minoritæ, & assequuntur.
Dubitatur hactenus de morte Scoti:
Inde probabilitas est, eum *vivere in Scotistis*,
Cum ambigitur, an ut homo *fuerit mortuus*.
Annus etiam occultus, quo apparuit in humanis:
Æternum esse sciveris, cùm ignoras unde incæperit, quando desierit:
Et æternus est in suis sequacibus, dum mortalis esse ignoratur.
Habent Minoritæ, & post Scotum plures alios
Minores, Scoto Doctores, Maximis pares Doctoribus.
Jllustrârunt Academias, datis ad lucem voluminibus
Et superstites Minoritas, viva cense Academiarum volumina.
Plura subtiliter scripsit Alexander ab Ales:
Ac si ei ad scribendum, Angelus alam commodaverit.

Incerta est Scoti Patria.

Vulgavit & Occhanus, vivacissimi ingenij monumenta:
Et in pluribus mortuis, vivit integer.

ELOGIUM LXXVII.
Sanctitas Minorum Ordinis.

UT Paternum in Minoritas DEI affectum intelligas,
Minorennes filios crede:
Ex Fratribus diliguntur ii teneriùs, qui Minores;
Parvuli, faciliùs paternum admittuntur ad gremium:
Portantur cautiùs, foventur delicatiùs:
Sugunt ubera Gratiæ, & Gratia illis Mater intimior:
Manuducit, ne cespitent, ubiq; assistit, ne titubent.
Unus ille in Evangelio, in Religionem longinquam abierat;
Et Gratiam Matrem, in Patre deseruit:
Pro uno, tot Fratres adoptavit Minores sibi gratiâ,

Ut

Ut pro Pro digo, innumera rodigia numeret.
Nisi etiam ex his, plurimi fuerint prodigi, sed sanguinis:
Hunc propinârunt Christo, dum fuderunt Barbaris.
Martyres cruenti censentur 22. omnes ferè vivunt incruenti.
Irrigârunt Japoniam, & Mauritanias cruore:
Sociis JESU simul confixi, & Christo concrucifixi.
Qui in sudore duntaxat, æternum appulerunt ad portum,
Numerantur Sancti, & Sanctæ 18.
Cæteri angustam Cæli portam intrant facilè,
Nullis rerum creatarum sarcinis onerati.
Et si illæ fores humiles sunt,
Tunc pares Minoribus.

ELOGIUM LXXVIII.
Honor Minorum Ordinis.

NUlli violentior eſt Honor, quàm humili:
Et nulli connaturalior, quàm recuſanti:
Expugnat ille repugnantes,
Suorum tantùm hoſtium amicus,
Et amicorum tantùm hoſtis:
Nihilq; veriùs, quàm eſſe eum falſum honorem, qui verè quæritur:
Et eum eſſe verum, qui ne fallat, fugitur.
Sic Franciſcus, dum Minorum condidit Ordinem,
Inſtitit honor, ut è Minoribus redderet Maximos.
Reperit nempe, novi locum incrementi:
Poſſe illos violenter attolli ſcivit,
Quos advertit in centro jacere propenſiùs.
Ad ſummi Pontificatûs ſolium, rapti è Franciſcanis IV.
Volentem mundum rexêre, inviti ad vota Chriſti, non ſua.

Cardinales creatos 34 Patriarchas 5 Archiepiſcopos ſeptem.
Epiſcopos undecim habuit Orbis Chriſtianus hoc Ordine plurimos
Et agnovit Seraphinos fuiſſe Præſides Genios Eccleſiæ,
Non Archangelos.
Plures alii ſpinas mallent, quàm ferre infulas;
Ut palàm ſit, necdum eſſe de cruce depoſitos.

ELOGIUM LXXIX.

Capucinorum Religio

Fundata Anno CHRISTI MCDXXV.

HAnc Familiam pænè fundavit ipſe Rigor,
Et regulas dictavit ferè non Mater Auſteritas, ſed Noverca.
Dicitur tamen Matthæus Baschius hujus Origo Fabricæ:
Sed vel ille non homo, vel è Cadmi ſemente homo còâluit:
Sic auſteritatis patiens, acſi vivus lapis auſteritatem non ſentiret.
Ludovicum Tenaliam, & ejus Fratrem Sodales habuit inſtituti,
Et primæ collaboratores de ſpinis plantæ:
In his tribus, ceu triangulo aſperrimæ Paupertatis, rigidioris Caſtimoniæ, ſeveriſſimæ Obedientiæ, ædificatum eſt domicilium.
Alibi quidem eædem virtutes habitant fortè ſub arctiore clauſura nullibi.

Imò nullibi verè habitant, nisì iis cohabitet eadem vultu Severitas
Clementi VII supplicârunt, ut liceret esse in vitæ modo non clementes.
Permisit Pontifex asperiorem tunicam, quali ferè quercus induuntur, non homines,
Incederetq; ipse Rigor, si Religiosum ageret.
Nimirum Capucinos, ceu fulmina scelerum existimes:
Sub crassissima vestimenti nube, concrescunt Orco ad terrorem.
Si tamen introspexeris animam, gemma est,
Quamvìs deforis scabrosam attrectes concham.
Hæ nuces sunt, quas Sponsa colligit Ecclesia,
Dulcem nucleum sub duro servant cortice. *(a)*
Intra spissos tunicæ parietes, ornatissima latet aula DEI.

(a) ant: 6.

Ut auream paupertatem accludant domi,
Etiam ferrum à domorum excludunt usu.
Omne iis ignotum est metallum:
Et hac ignorantiâ nihil possident pretiosiùs.
Pro divitiis virtutes supputant:
Argenti candorẽ innatum habent animo:
Non patiuntur argentum in cænobiis,
Ut paupertatis rubiginem,

Nihil deniq; pretiosum autumant:
Quod in hominum est pretio.
Ideoq; nec ostiatim petunt, quot tantopere vilipendunt.

Ut autem dicam omnia, pauca referam:
Capucinorum Regula Francisci Assisinatis est vita.

Vivus ambulat Assisinas in Capucinis,
Et illi in Assisinate vivunt mortui.
Qualis ille in Alverno, tales hi in Cænobiis.
Apud Umbros in lucem prodiit Baschius, in Umbria Franciscus,
Eadem utriq; umbrarum Patria:
Et videtur esse Capucinus Ordo, Umbra Francisci,
Et Franciscus fuisse umbra Ordinis Capucini,
Genuinaq; illius imago spirat,
Quamvìs densissimis tantùm depicta umbris.
Colitur à Capucinis ut Patriarcha Franciscus,
Non enim alias leges vivunt,
Nisì quas solus servare Franciscus potuit,
Tunc, dum esset Crucifixus.
Aliis benignior Mater Ecclesia, rigorem mitigavit,
Quem Austerus Pater sanxerat;

Jlli servant integrum integerrimi,
Et eum poenè rigorem spirant,
Qui vel nunc in cadavere Francisco est superstes.
Qui Sanctos nesciunt Hæretici, Capucinos colunt uti Sanctissimos.
Credunt servari posse Evangelium,
Dum vident viva pro observando Evangelio Miracula
Agnoscunt nullum esse DEI præceptum impossibile,
Dum humanas vires in Capucinis suspiciunt,
Et supra humanas vires vitam:
Tandem advertunt Omnipotentem dari eorum observantiam,
Quæ Omnipotentis sunt consilia, & mandata.

ELOGIUM LXXX
BERNARDINUS SENENSIS.
&
Ordo Minorum de Observantia.

VIrtus Bernardini per terram cucurrit nunquã.
In hoſpitali domo Beatæ MARIÆ de Scala, in Cælos aſcendere cæpit,
Cum vix moveri inciperet.
Ex inde nullus Bernardino poſtea gradus, non in ſublime.
Stetit nunquam poſtea, & retroceſſit nunquam:
Quem attigerit terminum, extra metam ingenii eſt,
Quia fortè ultra cælum.
Necdum Religionem habitu, jam animo induerat:
Sub profano veſtimenti cultu, ſacer:
In hoſpitali jam cælitum inquilinus.
Traxit inde ſalubrem morbum, ut mundo moreretur.

Priùs tamẽ peſte infectis, Sacramenta miniſtravit,
Et ſe miniſtrum inter mortes immortalem.
Nocens aura reſpiriis Divi ſanabatur:
Beati oris halitus medebatur ægro àéri:
Ipſe infici nequiore aura nequiit,
Quòd æternos halaret ſpiritus.
Pulcher ille vultu, pulchrior animo,
Formam ſubordinavit pudicitiæ,
Proprium illi ſuperinduit vultum,
Et fecit pudicitiam de ſuo Pulchriorem.
Anguſto Mapali ſeſe abdiderat,
Futuræ vitæ arcanum, ſolus à ſolo DEO auditurus.
Senſit inclinari in Franciſci Familiam:
Faciliùs ab exili tugurio Minorum Ordinem ingeſſurus.
Profecit in Religione, & in illo Religioinis perfectio:
Diſcipulus Franciſci, putaretur Franciſcus,
Ni alter ab altero, diſcerneretur notis Stigmatũ.
Quanquàm corpora diſcerni poterant, forſan non poſſent mentes, ſi paterent oculis.
Craſſiorem galeam, baltheum, & loricam induit:
Craſſiora hoſtium fracturus tela.
Nullis ſolitus cedere ictibus,

Sub

Sub duriore armatura ſecurior.
Ite Heroës fortiſſimi cum Bernardino,
Et pedes Chriſti exercitus,
Tremit infernus, dum triumphaliter claſſica concinitis.

ELOGIUM LXXXI.

Ex ore Concionantis BERNARDINI *flamma prorumpit.*

DUm audis loquentem Bernardinum,
Si hominem loqui credis, erras:
Strepitus eſt flammæ, è Veſevo prorumpentis.
Gigas hujus viri animus, ceu Enceladus in Ætna ſepultus,
Quoties commovit ſeſe, ignibus ebulliit.
Amoris, an iræ flammam autumas?
Utriusq; affectus eſt Phænomenon
Exhorruerunt crimina vivam hanc Vulcaniam;
Cujus ſcintilla quælibet fulmen erat.
Accenſæ ſunt Urbes in Cæli amorem,
Verba Bernardini ramenta erant Empyrei,

Pio-

Piacularis hæc flamma putari debuit:
A ſcoria purgabat Civitates, ut eſſent mundũ aurum.
Orator ipſe fornax eſſe patuit, increati ignis plena.
Continere ardorem nequiit,
Quin humanorũ cordium hyemem inflammaret.
Salamandra hæc divinior, cæleſti alebatur igne, eructabat ignem.
Jam tandem cæcus agnoſcit mundus, quales ſint contribules, Bernardini:
Filii lucis, & viva mundi incendia merentur nuncupari.

ELOGIUM LXXXII.

Supra caput de Beata Virgine Concionantis Bernardini Stella ſole ſplendidior de cælo Miſſa.

QUàm gratè pro MARIA peroret Bernardinus,
Munus Marianum indicat.
Oratori Mariano lingua Cæli egit gratias,
Sidus illud Virgineæ Coronæ, gemma eſſe debuit,

 Caput

Caput coronavit Bernardini, quod ad Mârianam mentem differuerit.

Aufculta Orbis!

Vir hic Cælum loquitur,

Populis concio agit Cynofuram:

Quisquis effata hæc fequitur, non errat:

Erraticum fidus illud effe nequiit,

Quod in Bernardini vertice fixum ftetit.

Miraculum eft hæc ftella,

Sole minor, & foli par:

Splendor æqualitatem,

Afpectûs minoritatem arguit.

Magno Miraculo majus eft Miraculum, Bernardini frons.

Ejus metire magnitudinem:

Quæ lux fufficit, illuftrando Orbi una:

Univerfam collegit lucem & cælum:

Ne tamen decoloraffet vultum,

Stella debuit effe naturâ, non fol.

Phófphorum intelligite Veftri Ordinis ô Patres!

Intra Ordinem perpetua dies fulgurat.

Claufam in Bernardino Bethleem fidus indicat

Intra clauftra Urbs eft, (a)

Ubi DEIpara cum Chrifto habitet,

Et à Viatoribus facilè reperitur.

(a) Alluditur ad Evang. *Præcedebat eos (ftella) dum ftaret fupra ubi erat puer.* Matt. 2.

ELO-

ELOGIUM LXXXIII.
BERNARDINUS
Lapidi impreſsit veſtigium pedis.

QUantus ſit Bernardinus !
Pede uno metire amplitudinem:
Seipſum exceſſit, dum inhæſit lapidi.
Sed tamen ſculpturam cerne! nulli oneroſus Vir, & adeo gravis.
Nempe bruta etiam ſaxa amârunt Bernardinũ,
Liquefieri volebant velut cerea,
Ut qui uno pede in cælo ſteterat, alterius ſaltẽ iconem perpetuò retinerent.
Excavat ille ſaxa, dum pondere virtutum atterit:
Sic indelebiles ſcribit characteres, & legibiles:
Ut intelligant poſteri de loquaci ſaxo, & muto:
Bernardinum eſſe vel uno pede ſtabilem, & ſtantem:
'A propoſitis retrocedere nequit mente, ſicut nequit veſtigio à lapide.

Etiam nunc Viatorem agit,
Dum in cælo vivit comprehenſor,
Hucusq; ſtator Seraphici Ordinis,
Et vel unâ Fundator plantâ.
Incolæ cænobium illic extruxêre,
Ubi ille perenni habitaret veſtigio.
Meruit Pes Domicilium, quia totus claudi nequiret Bernardinus.
Veſtrum eſt Patres iter ad Patriam, unus Bernardini greſſus.
Gemina Chriſti veſtigia in Oliveto:
Vobis unum ſufficit, ut faciat ad cælos Appiam.
Durities nulla euntes impediet,
Novis Annibalibus molleſcunt Alpes,
Et Heroicis greſſibus nullæ cautes non cereæ.

ELOGIUM LXXXIV.

Bernardini invocatione nubes obumbravit Carpenſium Vrbem, ut à prædonibus occultaret.

TImete impii!
Nubes hæc Divinæ Siparium eſt iræ.
Ubi Præſidiarium egit Bernardinus,

Cælum

Cælum valla urbi dedit ex nebula, murum ex àére.
Si tentatis iter Improbi,
Ut excluduntur à cælo crimina,
Sic nec iter esse per cælum potest criminibus ad terminum.
Dum tam crassè erratis prædones,
Potiùs in caligine errorem advertite:
Carpensium Urbs montem Sinæum exprimit,
Tegitur undiq; vapore, & ceu Divina Bernardini majestate.
Quisquis ausus fuerit irrumpere: fulmen paratum metuat.

ELOGIUM LXXXV.

Sanctitas Ordinis.

UT gemma sub scabrosiori concha:
Sic virtus sub duriore vestimento latere amat, & nasci.
Crassius filum cælos fortiter attrahit, & alligat mentibus:
Securius habitat Divina Gratia, quam munit habitus, ut cordis vallum:

Religioni huic rudimentum est sanctitas.
Jam isthic perfectus creditur, quisquis incipit.
Mirus candor, & mira Evangelii simplicitas, familiam cælo invehit:
Et homines esse negat, dum hominibus familiariùs afficit.
Nuda iis in ore Veritas, & lingua, qua Veritas loqueretur.
Heroica semper anima, ut resistat, omnibus adversis par,
Ut vincat, omnibus periculis major.
Numerat vel una Poloniæ Provincia plurimos hoc ex Ordine:
Quibùs radios addidit, & illi sunt Palatinatuum sidera.
Cracovia Simonem de Lipnica, Beatum experitur,
Et Coronata Urbs, Regniq; Corona est pretiosior ab hac gemma.
Leopolis Joanni à Dukla de genu cernua:
Mausoleum tanti hominis funus est Orientis.
Jlla parte tuetur Urbem, qua Barbaris Urbs obviat,
Joannes Vallum est Vallorum, murus mænium:

Urbi

Urbi Præsidium solus, & Othomano Terror solus.

Varsavia Ladislaum, de Gelnow Tutorem habet ut filia,

Pestilentem illi àérem expurgat, & se inspirat.

Novus Hercules fabulas refutavit:

Unus in terra Hydram, ille intra cæli spatia draconem enecuit:

Et quantùm terra à cælo,

Tantùm inter se Victores Alcidæ discrepant.

Patuit in àére & character, cæleste Ladislai Elogium:

Is qui orat Iudicem, magnus est coram DEO Omnipotente: (a)

Varsavia sis grata.

B. Ladislaus apparuit in àére hæc lucidissima sententia visa cum eodem scripta.

Digito hæc DEUS scripserat,

Aér enim tabula esse nequit, nisi scriptor sit àéris Dominus.

Excessit jam Ladislaus hominum Encomia,

Dum cælites nactus laudatores.

Siradiensis Palatinatus Raphàélem de Proszewice & Melchisedechum Beatos veneratur.

Duo Viri, Duo terrarum Oculi.

Polonus etiam nuncupari potest Joannes Capistranus, & Polonus hucusq; est.

Fami-

Familiam Fratrum de Obſervantia introduxit
Poloniæ,
Et æternum ſe Civem ſtabilivit.
Per hunc major patuit Sarmatia, tanto Senatu
aucta:
Gratitudinem illi obligat, ut Patri Patriæ.

ELO:

ELOGIUM LXXXVI.
PETRUS ALCANTARA
Minorum Strictioris Observantiæ Reformator.

PEtrus Nobilis Hispanus, nascendo nobilitavit Hispaniam.
Addidit virtutes generi, & bis Nobilis fuit.
Decimo sexto ætatis anno, Minorum Ordinem est ingressus:
Tenerior surculus trunco Crucis implantari voluit,
Ut insensibilis pænè arbor excresceret.
Statim illi Crux vitam instillavit;
Et ille vernavit in florem Cruci.
Nempe prodest primo vere semen emori, citiùs autumnum accelerat.
Maturescit & viridis ætas velociùs, si in herba propiùs cælo admovetur.
Tangit Viator terminum ocyùs, si properat à diluculo:

Nec expectanda pigrior hyems, ut fabricam moliare.
Friget enim virtutis labor, si nive capillus, Decembre manus torpet.
Adolescens Petrus innato calore divinum, divino innatum auxit:
Omnesq; Senis Francisci virtutes, in se Iuvene reanimavit Iuvenes.
Per eos in altum cucurrit gradus, ut in infimo steterit:
Et infimus ille gradus est, dum humillimus,
Qui rigidissimi instituti in Franciscano Ordine primus fuit.
Ad Pedrosum ergo angustissimum fundavit Cænobium,
Ut Alvernum Seraphici Patriarchæ accluderet.
Arctavit primo domicilium, ut dilataret animum.
Intimiùs invicem nexuit virtutes, si in angustum compilavit:
Easdemq; custodivit securiùs, dum mancipavit ergastulo.
At mox strictiores Angustiæ inundârunt Hispaniam, & Hispaniâ capi non poterant.
Propagari cæpit Religio,
Et fons ab arcta scaturigine in fluvium,

Fluvius in Oceanum crevit.
In Indias usq; penetrarunt severiores viri,
Et vel aspectu rigorem persuadent Evangelicum,
Austero Habitu Zelosi, dum vel muti:
Acerrimi suorum corporum, & idololatriæ hostes:
Manifestum fecerunt, non tam eloquio Verbum vulgari Incarnatum,
Quàm scripto in moribus charactere.

ELOGIUM LXXXVII.

Rigor Reformati Ordinis.

PAuperrimus Vir Petrus, sui Nominis Etymon.
Petræ nullius feraces frugis:
Nudi lapides resistunt duritie, ne rebus adhæreant.
Idem Ordini rigor qui rupibus:
Pretiosiori metallo agglutinari nequit, vix cæmentum patitur.
Opimos reditus putat, habere nullos.
Census stabiles existimat, inambulatoria locatos mantica.

Omnes tamen debitores experitur, quotquot pios:
Ab iis exigit Jure Evangelico credita:
Illi obtrudunt ultro, ne Evangelium negent.
Ipsemet Petrus nihil in terris habuit, præter corpus terreum:
Et de hoc potuisset ambigi, ni aliquando in pulverem sit resolutum.
Unica & deteriore usus tunicâ, sic promptior ferri in àëra:
Quod omnium labores exantlaverit, omnium detritissimus indicat habitus:
Ordinis Mediastinus indumento, Patriarcha animo.
Addidit inediam, vigilias, & flagella, & hæc, fomentum credidit corporis, alio non indiguit.
Pallor illi, nitidioris instar tuniculæ:
Plagarum livor, delicatæ instar diploidis:
Sic Alcantara vestitus multipliciter, media hyeme æstatem, medio Decembre Julium circumtulit.
Privata hæc Petri vita, facta est Ordini publica.
Vivunt sine sensu, velut vivunt in cælo Beati Spiritus:

Inter

Inter quotidianas ærumnarum mortes, ceu immortales Genii:

Sine pera, & rerum indigentia, ut Dii.(a)

(a) Deorum est nihil egere. Senec.

ELOGIUM LXXXVIII.

PETRUS VICTOR

Omnium Elementorum,

Super aquas ambulat.

SIcco trãsivit vestigio flumina, Vir gravissimꝯ:
Solidæ illius virtuti aqua solidatur:
Fluxus humor desiit esse fluvius:
Non erat, quod in Viro ablueret.
Petra factæ sunt aquæ Petro:
Vivam ego hominis umbram in Petro crederem:
Vix quidquam carnis habuit, quæ esset impatientissimo aliàs elemento oneri.
Aut saltem mortuum in Christo cadaver cense,
Et istud sine felle supernatans autuma.
Apostolorum Principe Petro, felicior Petrus Alcantara:

Ille ut remiserat de Fide, etiam aqua de miraculo:

Huic fidele elmentum adorat vestigia, dum sese calcandum subjicit:

Amoris ergò lambit plantas, non haurit.

Aliàs toto corpore mundus, nec ad talos mundari indiguit. (a)

Duriùs ille fluvius esse debuit, & Tagus (b)

Ille idcirco obduruit admiratione fixus, quod portaret prodigium:

Hic maturam explicuit gemmam:

Ut se esse Tagum demonstraret.

Fabulosum Charonta ne quære Petri Posteritas,

Quia pauperrima, non solves naulum:

Patriarcha deducet ad æternitatis portum sine navi.

Diviniorem sequemini Moysen, Gens electa,

Si iter est per mare ad Patriam,

Nulla tempestas Vobis est non pervia.

(a) *Qui mundus est non oportet nisi ut pedes lavet.* Joan. 13.

(b) *Nomen fluvii quem transijt Alcantara.*

ELQ:

ELOGIUM LXXXIX.
PETRI *in aërem Dominium.*

JUs in re ad elementum istud Petrus habuit,
In àéra levatus possessionem adiit.
Quod plus ignis, quàm carnis haberet,
Centrum indicat;
Quo tam violentè rapiebatur, cælò violentus:
Ut medius inter cælum & terras, & terrarum apud cælos homo mediator innotesceret.
Stabat auras super, homine altior & seipo.
Quæ sui altitudo sit Ordinis, seipsum metam fixit prope sidera.
Alium dominii cerne usum:
AdEffigiem Crucifixi æstuabat Alcantara:
Nubecula decidit àére, quæ æstum temperaret.
Imminuit illaCapiti, ut irroraretDEUM menti.
Dominus in hac umbra venisse debuit:
Ut auscultaret Oratorem attentiùs,piasq; in nubem lacrymas traheret,
Quas cælum in uniones Orbi eliquaret.
Aliquando & nix pendula tectum vivo præbuit.
Gemmam in Concha credere; Petrum sub pruinæ tegulis.

Dominus in nube.

Inno-

Innocentia candidius Palatium haud incoleret,
Et Candor,
Si homo esset.

ELOGIUM XC.
PETRI in terram Dominium.

In tribus digitis appendit molem terræ.
Jsai. 40.

ELementum terra Petrum cælestem indicat:
Obedivit ejus nutibus, ac si saltem unus esset
Digitus, in quo hæc moles appensa est.
Aridum infixit aridæ baculum, & fæcundam reddidit.
Gavisa tanto munere tellus, ne extrahi posset donum,
Mox radicibus apprehendit.
Ne vero ingrata foret, Benefactori,
Florem primò, dein autumnum tribuit.
Refloruit in ficulneam Scipio, & in miraculum floridum:
Traxerat è manu saporem, arbor alia esse nequiit.

ELO-

ELOGIUM XCI.
PETRI *in ignem Dominium.*

VIctor omnium Elementorum Petrus, hoc uno victus.
Cum ſuis luctaturus flammis, in campum aliquando provocavit:
Interno ſuperatus incendio, aliud Elementum in ſuppetias accivit, àërem.
Refrigerari indiguit, ne à cordis igne cænobium flammam corriperet.
Aliàs tamen ſervivit Ignis Alcantaræ mortuo,
Cui dominatus vivo. (*a*)
Exarſerat invidiâ àër, cum ad tumulum portari Petrum ſenſit:
Vehementiſſimo armatus vento, rapere prædam voluit,
Ut intra nubes tumularet.
Fideliter cadaveri alluxit Ignis, & parentavit.
Nulla fax extincta uno, & medio milliari:
Quàm intensè arſerit, contraria tempeſtas monſtrat.
Illi nempe prodigioſus ignis radiare debuit,

(a) *Cùm Cadaver duceretur ad ſepulchrũ.*

Qui inter Sanctorum splendores radiabat.
Et communi elementorum Victori, utrumq;
famularetur elementum:

Aér ut ad portum propelleret,
Ignis ut Pharon ageret.
Quod prodigiosiùs:

Naturam mutavit ignis, cum Petrus statum.
Velut commortuus Petro, ceram non esuriit.
Integræ fuerunt candelæ, & ignis jeiunus licet, sed integer.
Vorax esse desiit, cum abstinentiæ Miraculum sepelivit:
Lux illa cælestis esse debuit, quæ nutriri non indiguit.

ELO-

ELOGIUM XCII.
ORDO
B. MARIÆ V.
De Monte Carmelo.
Antiquitas Ordinis, & Origo.

QUàm ſublimis Ordo hic, Carmelum inſpice.
Fundamenta illius in Montibus Sanctis,
Ad cælos pertingit faſtigium.
Antiqua hæc Eccleſiæ DEI hæredicas,
Et prima:
Ferè infanti coæva mundo:
Senex acceſſit naſcenti Evangelio:
Nunquam decrepita, quia ſemper florida.
Eliam Patrem aſſerit, quia lineamentis exprimit:
In ſingulis redivivos exiſtimes Eliſeos, & immortales:
In moribus, eorum antiqui nunquam Prophetæ moriuntur.

 Licet

Licèt jam desunt futura talia, quæ debeant
prædicere, illi tamen sunt Prophetæ:
Tota sanctitas hoc in Ordine manifesta visitur,
& major permittitur,
Quæ olim fuit per Prophetas revelata, & adhuc sub Sipario latet ulterior.
Vos igitur unici antecessistis Christo,
Ut pararetis viam Præcursores:
Evangelium vixistis ante Evangelium:
Apostoli priùs, quàm Messiæ Discipuli:
Et priùs Discipuli, quàm Magistrum audistis
Christum.
An aliquis verè Religiosorum status in veteri
lege floruerit, nonnulli ambigunt:
Antiquitate Vestra litem dirimitis:
Tunc Religiosi, cum homines esse inceperunt:
In Abele primogeniti Religionis:
In Enocho votivi DEO, & DEUS Vobis:
Illum hucusq; incolumem conservant superi,
Ut Carmelitæ in Enocho censeantur primi mundo, & ultimi,
Adest Phosphorus, & Hesperus.
Non interrupta serie succedebat posteritas:
Elias non invenit primus hunc fontem, sed
auxit in fluvium.

Inde

Inde Nilum existimes hanc familiam, ne erres:
Impossibile est ad caput redire alvei, & sic rediisti.
Albertus Hierosolymorum Patriarcha Ordinem deinde vetustissimum redegit in novum Ordinem:
Carmelo imposuit Calvariam,
Eliæ Christum immiscuit:
Propheticas traditiones restauravit Evangelio:
Ardetq; lumine gemino Ordo hic,
Eliæ flammâ, & Christi luce;
Factusq; est ex antiquo vespere, & recenti mane
Dies unus, & mundi meridies.
Stabit perennior hæc structura, & stando perennabit:
Geminus paries uni Lapidi innititur Angulari.

ELOGIUM XCIII.
Sanctitas Carmelitani Ordinis

TRibus Carmeli Montibus Crux imminet,
Et Carmelus triplici culmine Crucem elevat:

Sanctitate, Sapientia, & Honore.
Calvariam hic intellige, & adora:
Quotquot in Carmelo vivunt, mundo sunt Crucifixi,
Et hi nihil sublimiùs habent, quàm Crucem,
Nullum celsius existimant fastigium, quàm Christi opprobrium.
Consecrârunt hunc Ordinem & fecerunt Magnum Sanctum Magni Sancti:
Hujus Religionis Professus censeri Joannes Baptista potest, & fecit Christo consanguineum.
Uno homine metire familiam:
Una fronde consanguinitatis arborem:
Domo hac surrexit major nulla,
Quæ clausit virum, quo major surrexit nemo.
Aliqui & Andream Apostolum hoc de Ordine prodiisse autumant:
Et sic Apostolorum tyrocinium, Ordo meretur nuncupari.
Primus ille secutus Christum, nec reliquit Carmelum:
Debetq; Orbis Carmelitano Ordini, initium Ordinis Apostolici.
Aliqui Cyrillum Alexandrinum, Gregorium Nanziazenum, Basilium Magnum priùs Car-

melitas fuisse asserunt, quàm Ecclesiarum Patriarchas, Diœcesium Episcopos, Religionum Fundatores.

Nimirum hisce in cunis nascebantur ingentia mundi columina.

Hoc in cælo oriebantur summa Græciæ sidera.

Una ab hac amussi, pendebat fabrica Orientalis Ecclesiæ.

Aliqui Martham, Domitillam, Eustochium, Palmas Carmelo insertas perhibent.

Ego totum Orbem insererem,
Modò propiùs sideribus admoveam.

Certiùs in universum 76 Sancti hanc familiam Sanctificant:

Reliqui omnes cælum implent.
Etiam Ecclesiæ Petram,
Sublimiùs Carmeli Montes porrexêre:

S: S:

Dionysius, & Telesphorus
Ut in septicolli eminuerunt Culmine
Intimius Christianum Orbem sideribus admoverunt,
Et æmulum Olimpo Carmelum
Effecêre.

ELO-

ELOGIUM XCIV.
Primi Carmelitæ Sacellum B. V. in Monte Carmelo exstruxêre.

PRimi MARIAM Angeli è cælis,
Primi in terris Carmelitæ adorârunt.
Symbolisant affectu cum Cælitibus, pœnè & naturâ:
Consodales Angelorum, & ferè corporei Angeli.
Sacellum DEIparæ fabricârunt, primi Marianæ gloriæ Architecti.
Parvula illa ædes primò coaluerat:
Quòd Carmelitæ clauserint plus MARIÆ pectoribus, quàm parietibus.
Magnitudo Reginæ arctari debuerat angustis domunculæ angulis,
Ut plenior Viros occuparet.
Primi illi supplicârunt Cælitum Dominæ, & exaudiebantur primi:
Nihilq; iis negari poterat à MARIA, quam fecerunt misericordem petendo, liberalem laudando.

Didicit à Carmelitis mundus integer Hyperduliam:
Suisq; fontibus debent Maria, quod sese totum per Orbem exporrigant.
Hi sunt Magistri honoris Virginei, & honos Virgineus Carmelitani Ordinis ars est.
Hi sunt prima planta Templorum, Basilicarum, ædium, quæ cæli Regina inhabitat:
Censeri debent Carmelitæ Mariani in Ecclesia cultûs Fundatores.
Hæ primitiales victimæ, & primæ Theandricæ Matris Aræ: horum vicissim MARIA Victima, & hujus Religionis Ara.
Assurgite ô immortales in Carmelo Cedri, Patres Religiosissimi:
Si in Montibus vestris Marianæ gloriæ fundamenta latent, sic Montes firmant:
Perennare coguntur colles illi, & perennabunt,
Ni æther velit non perennem MARIÆ fabricam, quod velle nequit.
Equidem diminui Carmelus non potest, citra ruinam cultûs Mariani.
Nec peti fulmine, citra ictum DEIparæ.

ELOGIUM XCV.
SIMONI STOCH
Scapulare porrigit DEIPARA.

REgibus purpuras non invide Carmelitarum Religio:
In quibus plus lucet ſanguinarii periculi, quàm ornamenti.
Porrexit è Cælo MARIA veſtimentum Tibi cælicum:
In quo æterna Superos inter ambulat Vita:
In quo beatitudo incedit trabeata.
Hæc illa veſtis eſt, quâ cælites ad immortalitatem candidantur,
Et ſunt ad Agni Nuptias regaliter Purpurati.
Hæc inveſtitura ad Regnum Chriſti inaugurans,
Et cælum in filo trahens.
Hæc ſtola prodigos hæreditati reſtituens, & mendicam abjectionem Chriſtoformi cultu ſupprimens.
Novum ſanè pignus amicitiæ!

Jonathas Davidi: MARIA huic Familiæ proprium communicat veſtimentum, ut ſeſe intimiùs agglutinet.
Quis neget Carmelitas dici Marianos?
Providit ut ſuis veſtitum domeſticis:
Ut ephebos ornavit proprios:
Unam nevit Chriſto,
Alteram Vobis texuit inconſutilem,
Chriſto Contribules, & ſuos rata Filios.
Modicum quidem panni fruſtum eſt:
Sed quantum ante, & retro cor tegi poteſt ab ictu tartareo.
Exilem illam cenſe nubeculam, à qua copioſus gratiarum torrens depluat.
Fimbriam reputa omnibus morbis medicam.
Sufficiens fragmen cenſe, in quo ſervari mna poſſit, ne excidat.
Sat magnum autuma ſegmentum, quo vulnus alliges, & centones conſcientiæ reſarcias.
Nec frigidum te time, aut in Te frigus vereare:
Æthereum veſtis fovet iſta calorem,
Et ætneos animi temperat ignes,
Deliquia focillat cordis magìs, quàm dibapha:
Sudorem exhaurit noxium certiùs, quàm emplaſtrum.

Alluditur ad 1 Reg: *Ecce nubecula parva.*

Alluditur ad Matt 9. *Si tetigero fimbriam.*

Hinc & inde lacertos onerat, & roborat:
Hæc illa mantica est, in quam pauper thesauros
cæli colligas.
Hæc sigilla ante, & retro domum obserantia,
ne valeat expilari.
Hæc stemmata, ut omni ex parte agnoscaris
Marianus.
Nec poteris, aut in faciem, aut tetrorsum cadere:
Nisi in JESUM, vel MARIAM incidas.
Inter hæc Numina procedis medius, tutelam
vide, & Protectores:
Deviare non potes, nisi JESUM, & MARIAM exuas.
Huic tamen habitui fibulas adde aureas:
O Peccator!
Mores scilicet ornatissimos.
Nudi morimur, nudi intramus æthera:
Etiam Christus Mariana veste exutus, occubuit.
Et una quidem ejusdem tunica in quatuor divisa
partes,
Ne sola quenquam hominum ex integro protegeret:
De altera sortiti sunt impii milites,
Et beata sorte exciderunt.

ELO-

ELOGIUM XCVI.
Sapientia Ordinis.

CAna apud Vos Patres Sapientia,
Vix aliquando fuit Juvenis.
Cùm alibi infantes balbutirent Scientiæ,
Jam apud Vos doctè tussitabat
Anus Eruditio.
Propiores tempore, viciniores loco,
Professores audistis eos,
Qui immediatiùs erant sub Prothoplasta Adamo Discipuli.
Aliqui adhuc è nube docentem DEUM palàm audiêrunt:
Ut eam instillarent Vobis sapientiam,
Quæ esset Divini oris sonus,
Et Carmelitæ fierent loquentis DEI Echo.
Diuinæ humanas in Vobis Scientias postea pepererunt.
Divino pænè ingenio comprehenditis,
Quidquid Universa Sapientum Respubl. partitim habet.
Joannes Bachonius sui ævi oraculum,

Et oraculorum perenne ævum:
Sæculum Christi decimum quartum erudiit,
Et sæculum unus nominavit Eruditum.
Quia ingentium difficultatum nodos,
Et intricatam sapientum telam, rescidit aut resolvit:
Ideo *Resolutus* Doctor audiit.
Principibus Christiani Orbis Magistris misceri debet:
Ipsemet Doctæ Monarchiæ Rex.
Vel unus Carmelo satis est,
Ut sit literarum culmen & fastigium.
Quia Carmelus laurorum fertilis:
Erigunt se è Carmelitis Doctores laurigeri;
Vix caput intellige, quod non frondeat,
Vix hominem, qui non sit viva laurus
Involvere hoc folio Doctorum Nomina, est poenè supprimere:
Eminet seipso Carmelus Celsior:
Magni patent in Carmelo Viri:
Publica illos lux habet,
Et suum in Carmelo sidus clarificat.

ELO-

ELOGIUM XCVII.

TERESSIA

&
Geminus Ordo
Beatæ MARIÆ Virginis
De Monte Carmelo Reformatus.
Anno MDLXII.

ORiginem Virginis hujus si requiris?
Hispana fuit:
Unde Grandes duntaxat Sancti prodeunt:
Si posteritatem vestigas?
Major Origine posteritas, totum implevit Orbem.
Ætate tenerior seipsam fugit, ut mortem inveniret:
Martyrii cupida, quæsiit Tyrannos, & pœnè rogavit mori.
Trajecit idcirco in Africam Virgo Apostolus:
Tertia mundi pars puberi adhuc Zelo, par esse potuit,

Cui

Cui in plena Viragine æſtuanti, integer mundus non erat ſuffecturus.

Per Patruum tunc revocata à Martyrio, non tamen à Martyrii laurea.

Vigeſimo ſecundo ætatis anno Religionem ingreſſa, ad uſq; obitum ſerta nexuit patientiæ.

Doloribus in corpore, ariditatibus in animo, cruciata,

Bis Martyr, nullo ſæviente Tyranno facta.

Matre orbata, Matre non caruit:

Adoptata in filiam à MARIA, & in Sororem Chriſto.

Eam poſtea explicuit indolem, ac ſi MARIÆ ubera ſuxerit.

Adoptationem ſecuta dos legitima,

In maternos ſucceſſit titulos Tereſſia

MARIÆ æmula, quia Mater & Virgo:

Ut autem floridiùs ſuum vernaret lilium,

Sæpiùs illud urticis implantavit, ne tãgi poſſet

Additum & è ſpinis ſepimentum ut innocentiæ hortum obvallaret.

In his ſæpiùs volutata Tereſſia, auxit ruborem pudicitiæ, dum minuit ſanguinem.

Catenas, Cilicia, verbera, ad ornandam Virgiginitatem, ceu clenodia adhibuit. Nun-

Nunquam aurei torques, ut ferrei:
Purpura nunquam: ut setosa chlamis:
Nunquam carbunculi, ut vibices:
Verecundiam pulchriùs decorant, potiùs dedecorant.

ELOGIUM XCVIII.

Reformat veterum Carmelitarum Ordinem.

VEteri Carmelo non nihil insevit Myrrhæ Teressia,
Virorumq; ac mulierum allexit gustum.
Sapiunt amara gemino sexui Cælitum amoroso,
Quia uterq; gustum amisit ad mundi Saccara.
Carnium esu abstinuit obstinatè:
Carni bellum indixerat, hostem augere noluit.
Eandem abstinentiæ regulam Mensis Sodalium apposuit:
Scivit enim vel in cibis utriq; sexui desipere carnis coruptelam.

Unde animalem vitam ſpirant minimè, quàm non vivificant animalia.

Nudipedes aſſeclas habere ſuos voluit:

Ut Athletæ citiùs decurrerent ſtadium,

Et viatores promptiùs irent ad terminum.

Sexaginta Cænobia fundavit ſolo nixa *Lapide Angulari*:

Domos crede: quas condidit Divina Liberalitas, ut ſemper habitaret domeſtica.

Humana manu vix putes ſurrexiſſe Penates Tereſſiæ:

Hos idem exſtruxit Faber, qui ædificavit cælum.

Poſtquàm in terras hoſpes Elias redierit, hìc Domum reperiet,

Quadraginta diebus habitabit ut Pater;

Jnde aſſumet laborum ſocios, & Comprophetas.

Fient qui primi, ſimul noviſſimi:

Ruentem mundum cùm fulcire nolent, cum ruente ruent.

Et ille eſt terminus Ordinis, qui mundi eſt futurus.

Reformabunt Orbem in Eliam reformati,

Chriſto in terras viam, ſibi in cælum præparabunt.

Occu-

Occurrent in àëra DEO Judici, & non Vindici:
Cùm audient alii *venite*: ibunt pedites:
Eliani Proceres Eliano curru vehentur ad Portas æternales.
Quid de Virginibus proferam? vivæ virtutes sunt.
Severissimo nupserunt Rigori, an Pater iis Rigor est.
Intra delicias habent, affligi:
Intra dotem numerant cilicia, jejunia, verbera:
Regnat in iis Regina Charitas, & illæ Charitatis Divinæ sunt ancillæ.
Carmelitanarum cænobia Divæ Concordiæ templa putes, & illæ existimentur pacis Aræ:
Illud hic prodigium est inter Mulieres,
Quod portentosum aliàs esse solet in fæminis:
Silent: videri negligunt: rixari nesciunt.

ELOGIUM XCIX.

Ordinis Carmelitani Gloria.

UT Virgineam fæcunditatem in Tereſſia intelligas,
Multiplicata eſt ſicut ſtellæ, & arena:
Nam & cælos & terras occupat iſta domus,
Filios tot numerat, & filias, ſi poſſunt numerari,
Quot in Gentilitiis Montibus atomi, in polo ſidera.
Quanquàm Carmelita quilibet ſuis Montibus eſt faſtigium:
Et vallum Eccleſiæ:
Sunt Viri inter Religioſos Ordines culmina:
Evangelici Rigoris Apices.
Quævis filia eſt in Zodiaco Sidus Virgo,
Sed tamen aliud, quàm fabulæ finxerint.
Unum quidem illud Montibus imminet:
Amant majora latere.
Tantus ergo eſt uterq; Ordo, ut domeſticis verticibus attingat firmamentum.
Per Carmelum brevior ſplendet ad aſtra via:

Stema Carmelitani Ordi. Montes quibus ſtella imminet.

Ne

Ne quiſpiam exerret à Patria, prædueem facem Superi commodârunt.
Habet ſuum hæc Familia Phoſphorum, & ſemper diem: (a)
Oriens auroram familiæ quotidie ſequitur
Et primam montibus communicat lucem.
Planetam intellige ſidus iſtud.
In quo æternus Sol augem tangit, & Orbem ſplendidiùs irradiat.
Carmelum ego beatæ felicitatis portum dixero:
Stella Pharon agit ſecuritatis nuntiam.
Hæc cæli lingva de Cerauniis admonet,
Et invitat ad æternitatis Emporium.
Quisquis ergo ad faſtigium iſtud appulit, ſimul polum apprehendit:
Quisquis affectu abinde deviat, à polo exerravit.
Sequimini igitur Magni Proceres illuſtrem Prodromum:
Toti Proſapiæ eum polus Ephebum agit, quem tribus egit in Bethleem Regibus.
Inveniri facilè poteſt DEUS, qui cum Præcurſore cælo quæritur.
Quanquàm veriùs ſemper vobiscum habitat DEUS Homo, nec quæri debet.

(a) *Oriens nomen ejus.* Zach. 6.

Magnum latere hìc Sacramentum, lampas æthere accensa indicat.
Nec dubitari potest de thesauro in Montibus abdito,
Cui invigilat Custos cæli oculus.

ELOGIUM C.
Viri Illustres, & Fæminæ ex Familia
TERESSIÆ.

INgentes animæ meliùs è Carmelo patent, & obtutibus ingeruntur faciliùs.
Rupem illam vix arctiori tramite ascendit Teressia, sequacibus fecit Appiam.
Prima iter emensa est Catharina de Cardona Ducum Cardonensium Filia,
Et attigit apicem.
Respondit alto sanguini virtus cælo contigua.
Fuisset Catharina Dux Virginum, ni Teressia præcessisset.

Mira-

Miraculis ultra naturam evecta, modestiâ infra homines depressa:
Dubium fecit Virago illa, an non Cælites gratias indigniùs depresserit,
Cum suppressit mortali famæ.
Æternis clara visionibus, videri Sancta respuit,
Et hucusq; caret radiis, quod omnem in cælos splendorem secum collegerit.
Altera succedit Catharina à Christo dicta, moribus expresso:
Virgineum Teressiæ uber suxit filia, & matrizavit;
Per omnes virtutum gradus
Contendit ad Sponsum Altissimi Filium,
Conjice quò pertigerit.
Pampelone sepulta, ubi Lojola revixerat,
Jllâ erupit in cælum rimâ, quâ murus dissiliit, ut Lojola rediret in seipsum.
Est enim Jgnatianum aliquid hac in Familia,
Et est aliquomodò Familia in Jgnatio:
Balthazar Alvarez Jgnatii Scintillas Seraphicæ immiscuit Teressiæ,
Reciprocos à posteris ignes exigit.
Locupletiùs Carmelitarum non evolvo Monologium:

Sudo

Sudo die monſtrari digito ſol non debet.

Ioannes à Cruce juvit Tereſſiam, ut profundiùs crucem Carmelo implantaret.

Tantus ille Vir ærumnarum amator, ut appellari noluerit, nisì Cruciger.

Ævo, quo vixit, dæmonum Terror audiit; hi vitam & nomen exhorreſcebant Crucifixi.

Ceu Baſilium lemuribus oppoſuit Oriens formidandum,

Sic Occidens Ioannem Crucium.

Si vixiſſet uterq; ſimul, Gemini Alcidæ Orientem monſtris, & occidentem expurgâſſent.

Franciſcum Indignum non transgredior adorator:

In Congenſi Æthiopum Regno baptizavit innumeros, & fecit cæli candidatos.

Plurimi Indignum ſecuti, Aſiam, Africam, Americam, ſubdiderunt Evangelio,

Quas triumphârunt Chriſti prodigiis, & ſuis virtutibus.

In illa Barbarie plurimi Infulas attollunt vertice, Illius Apices Eccleſiæ, cujus erant Baſes.

Ex hoc Ordine plurimos & Roma ſuſpexit Sanctos, licèt non promulgavit.

Pro-

Petrus à Matre DEI primus in Italia Generalis, suæ Religionis Petra.
Clementi VIII. Leoni XI. & Paulo V. summis Pontificibus oraculum, dum Præco Divinior.
Nullum tunc Roma ſanctiorem habuit, quamvis adoravit Sanctiſſimos. (*a*)
Franciſcus à Puero JESU Ruſticus, & ille inter Senatores Divos meretur recenſeri:
Laicus quamvìs Officio, & ob eximiam virtutem Altaribus adorari dignus.
Clementi VIII Philippo III Hiſpaniarum
Regibus apprimè charus,
Quis credat?
Ruſticus, fuit ſummis Principibus ſympaticus.
Humilem ne puta virum, mundi agglutinatus faſtigiis, ultra mundum eminuit.

(a) *Teſtatur Baronius Tom. XII. in rebus geſtis Anno 1587.*

ELOGIUM CI.
COR TERESSIÆ,
A Seraphino vulneratum.

CÆli meta, factum est Cor Teressiæ, in illud collimavit Divinus Amor, & Centrum nactus.

Quidquid amari potuit in æthere à Seraphinis, amabatur in Teressia DEO plena.

Aperiri debuit pectus illud, ut evaporaret creatus ignis, & hac rimâ irrumperet increatus.

Facta est Columba quasi sine corde.

Excordem columbam autuma: accipitres allicit, quia vult inescare DEO, venatrix animarum.

Gaude Carmelitarum Religio:

Quidquid arcani à Superis accepit Teressia, Aperuit omnia in corde terebrato.

Patet jam fenestra, (ut latentes thesauros lustres si placet,) fur rapias.

Accendi aliunde ne quæras: hæc sufficit fax Ordini inflammando.

Sanè magnum illud cor esse debuit, quod clau: di pectore nequiit:

Dextra proinde porrigitur, ut ex corde operari familiæ salutem censeatur Teressia.

Dextra laboru instrumentum.

Evolasset è pectore aligerum illud cor ad Superos;

Retineri manu debuit, ut perpetuò familiam animaret.

Pingitur Teressia Cor in manu tenẽs.

Minimè tamen manumittitur: necessario Mater amat sobolem,

Vide quid pro pabulo porrigat.

Manumitti dicuntur mãcipia dum libertati permittuntur.

Prudentem nemo amplius dubitet Virginem, patet quam lampadem præferat.

Suum illa Ordinem desponsat Christo:

Una hæc sufficit tæda,

Quâ Sanctiorem inflammet Hymenæum.

Hostes Carmelitarum exhorrescite:

Quisquis pectus illud punxerit, habet telum quod regerat.

Cor cum sagitta.

Si primum vivens moriensq; ultimun cor dicitur, in manibus Virgineis vitaq;, morsq; sita est.

Cor.

Nescio tamen an non frigidum aliquid suspexerit Teressia:

Sanctiore Ætnâ albam hyemem succendere voluit.

 Ut

Ut autem & pateat, quàm benè ſuo Ordini
cogitet,
Manifeſtæ ſunt cogitationes, & cor, unde exe-
unt.
Sequimini cordati Proceres cordatam Matrem.
En ut ametur, palàm amat.

ELOGIUM CII.
FRANCISCUS à PAULA
Minimorum Fundator,
Anno MDCXXV.

PRrima Aprilis viola Vir hic,
Et prima fæcundæ telluris Corona.
Aperiri amæniùs æstas nequiit, quàm in hoc flore.
A Matre diu sterili natus, an magìs è cælo datus,
Vix quidquam humani sanguinis, & figmenti habuit.
Temperantiæ quoq; miraculum, sine miraculo oriri non debuit.
Nec subitò coalescere potuit tanta magnitudo:
Diutiùs laborat natura, ut elephantum pariat:
Fatigat sæcula Obeliscus, ut surgat.
Quale fuerit in Viro temperamentum collige, & quàm Vir temperatus!
Multi soles excoxêre indolem, ne quid crudum saperet.

Tempus partui moram interjecerat, ut expectatio populorum gigneretur non morosa.
Oravit ab Assisinate Francisco fæcunditatem mulier.
E lacrymis nubes coaluit, quam cælo suspiria porrexère:
In hac Minorum Sol formavit Parelia,
Francisco Franciscum substituit.
Ex voto itaq; natus est, votivus puer.
Et plus debet, quod vixerit, cælesti Gratiæ, quàm naturæ.
Ne inter homines Sylvesceret, abiit in desertum.
Illic quadriennio commoratus, & intra se.
Dum etiam rediit, Ab eremo, nunquam exiit à Solitudine & seipso:
Decimo tertio ætatis anno ingressus Francisci Ordinem,
Et totus Ordo in illum est ingressus.
Post annum, Ordinem deseruit, ut haberet proprium.
Ad Paulam Cænobium ædificavit miraculorum arte!
Viri, Principesq; fæminæ comportabant sua manu saxa;

Quan-

Quantum in fabris miraculum!
Quòd futura esset Principum nonnisi virtutum habitatio,
Ubi Franciscus habitaret,
Pares sudarunt operarii.
Aliàs contigit ut ardentissima coquendæ calcis fornax, furnum perderet,
Restauravit eandem solidiore prodigio seipso.
Quasi excocta cretus argilla fornacem subiit, flammas non veritus,
Restituit Officio fabricam, & Cænobium brevi coaluit in miraculorum officinam.

ELOGIUM CIII.
Vita FRANCISCI *in cænobio.*

QUàm austeram egerit vitam, ne Francisci frontem consulas;
Refutat rigorem amænior vultus, & fallit:
Celant spinas genarum rosæ, & decipiunt.

Sub pulcherrimo oris vere, dura hyems latitat.
Serenum frontis cælum ſcorpios, & monſtra obtegit.
Hac una mendacii innocentiâ, peccaverat Vir innocens.
Quod cùm aliàs omnes ejuraverit delicias etiam neceſſarias,
Venuſta tamen facie ſeſe delicatum liberaliter mentiretur.
Quotidianam illi menſam aſperabat Quadrageſima:
Vultus piiſſima Bacchalia amæniùs exhibuit.
Crudæ radices in cibum appoſitæ, excreſcebant in oris florem.
Ulcera terræ fungi ſplendidum ſupplebant adipem:
Rudior aquæ hauſtus pingebat genarum muricem.
Sol eum comedentem nunquam viderat,
Sic nunquam pœnè vel à cælo, viſa eſt ſimilis abſtinentia.
Ne dubita hominem ad magnam vocatum cænam, hac nonniſi vixerat, nunquam prandio.
Lugubre illud epulum eſſe debuit, cui pallata nox umbras immiſcuit.

Nec

Nec ſegnem cenſe operarium;
Solus à labore ſupererat veſper,
Qui tantillum obſonii porrigeret.
A piſcibus quoq; guſtum coercuit,
Ne carni mortuus, parato è viventibus alimento carnem animaret.
Etiam in hoc cibi genere hamum diaboli timuit.
Æqualis enim mors metui poteſt abſtinentiæ,
Sive in ſtagno naufragetur, ſive exſpiret inter mortes animalium.
Hoſpitibus tamen Franciſcus ſemper hoſpitalis, qui fuit ſibi hoſtis.
Liberalem iis apponebat menſam, quam ſæpiùs miracula condivêre.
Quo Conſentinum Præſulem reficeret, piſcem mortuum vitæ reddidit,
Et thaumaturgam liberalitatem animavit.
Aliàs ferventi oleo dextram immerſit, ut frixum extraheret hoſpiti piſciculum.
Quàm Athletica manus ſit collige:
Ungitur, ut palmam apprehendat.
Nec ignem ſenſêre articuli,
Manus aurea emerſit ex igne formoſior.
Innumera tacui prodigia; faciliùs fieri poterant à Franciſco, quàm dici poſſunt ab aliis.

ELOGIUM CIV.
Reliqua FRANCISCI *Vita.*

A Decimo ſexto ætatis Anno nullum pecuniæ genus attigit,
Ne à Metallo rubiginem Virtus traheret.
Etiam Divinæ Matris, Imaginem ſeptemdecim ducatorum millibus æſtimatam non admiſit, & tunc ipſemet verior Imago Paupertatis.
Jllam Ludovicus XI. Galliarum Rex ter obtruſerat, remiſiſſet Franciſcus millies,
Pretium à pietate, non pretio pietatem vendicans.
Noluit MARIAM auream, ne haberet ad ſuppetias gravem.
Contentus papiracea icone , ne illa ſuccurreret tardior :
Et charta ignem accenderet facilior.
Pretioſior tamen habitus tunc Ludovico,
Dum theſauros aliàs oblatos reſpuit.
Virtus enim quo pauperior, eo æſtimabilior:
Magnis per Gallias adoratus honoribus,
Et meruit toties majores, quoties contempſit exhibitos.

Quos

Quos vel cælum detulerat pati cogebatur, ſed invitus.

Apparuit quandoq; Papali habitu Coronatus:

Pontificiam tunc DEUS virtutem ornavit non Officium.

Potuiſſet univerſalem moderari Eccleſiam, qui totius Eccleſiæ dotes collegerat.

Imponi tamen huic muneri Virum DEUS noluit,

Quod maluerit à Paula Civem Paulo Coapoſtolum, quàm Petro.

Neq; in eos ſemper gradus Numen evehit, quos virtus fabricavit.

Habet ſuas cælum Infulas, habet Purpuras,

Quas inter homines negavit, quaſi cum injuria,

Reſtituet inter Superos cum uſura:

Patebunt illic infulati, qui hìc nec fuêre pileati:

Rubebunt illic murice, qui ſeminuda pallebant cute.

Infinita ſunt quæ debeant de hoc Viro dici omnibus numeris abſoluto.

Dies Franciſci quælibet, annales faceret Eccleſiæ:

Menſes darent ſæculorum hiſtoriam:

Quivis annus bibliothecas exæquaret,
Obiit ſalutis Anno 1507 ætatis 91.
Centenarium non acceſſit,
Ne aliquam paritatem importaret ætas illi, qui ſua ætate nullum parem habuit,

ELOGIUM CV.
Corpus FRANCISCI
Poſt Quinquaginta quinque Annos cum Crucifixi Effigie ab Hæreticis comburitur.

Mortifera aude Hæreſis,
Quòd mors non auſa.
Quinquaginta quinque annis veritæ Sacrilegium Parcæ, Franciſcum non læsêre:
Hæterodoxæ plus nocent Furiæ,
Corrumpunt, quidquid eſt incorruptum,
Lacerant, quidquid DEUS voluit integrum.
Rogo damnant venerandum Cadaver, venefici rogo digni:
Gratiſſimam cælo concremant victimam devoti tartaro.

Sua-

Suavissimum adolent thymiama fæx olida.
Sed cum fumo in cælum evola Phænix sacerrime!
Concrescet in nubem vapor, Tu fulmen Hæresum audies.
Sentient Hæretici Tonantem, de Te tonitru illi facies.
Numen affixum Cruci eodem tecum damnatur supplicio:
Ne quis dubitet par fuisse in utroq; supplicii meritum.
Quidquid in beata Icone suspexit impietas:
Illud ipsum expiare flammis voluit in Francisco, quod reprehendit in DEO.
Tam enim genuina Crucifixi Jmago Franciscus esse patuit, & fuit:
Ut cadavera non discerneres, nisi metallo unius vulnerato:
Idem Vos consumpsit ignis, quia idem vivificabat amor.
Miscuisti Francisce Tuos DEO cineres, cui mortuo vivus eras consepultus.
Compateris Christo, Tibi Christus:
Socius eidem ad flammarum damna, ut fores ad æterna lucis lucra.

Jam fumoſa Chriſti audies Imago, & Chriſtus tui.
Vobis invicem parentaſtis, DEUS Tibi, Tu DEO.
Thymiama uterq; cælo, uterq; Sacrificium,
Uterq; proximus Ucalegon.

ELOGIUM CVI.
CAJETANUS
&
Ordo Theatinorum
Fundatus Anno MDXXIV.

CAjetanus Vincentiam habuit Patriam,
Solis natus victoriis.
Illustri Thienæa Gente Sol emicuit,
Familiæ, & Ecclesiæ Dies:
Pia Mater priùs ferè infantem cælo inseruit, quàm in terram caderet.
DEIparæ pusionem devovit, & pro se Matrem substituit.
Adolescebat votivus puer, & maxima in puero vota.
Patavii Utriusq; Juris laureâ coronatus:
Reginam in se Justitiam coronavit.
Titulum moribus immiscuit, mores Titulo:
Jus, & æquum professus,
Unicuiq; quod suum est restituit:
Honores, & fortunas mundo,
Seipsum DEO.

Romam

Romam adiit, ubi de Septicolli faſtigio clarior Orbi appareret.

Vidit Julius ſecundus Cajetanum,

Et primum habuit, cui omnia ſecunda deſtinaret.

In Prælatorum non humili gradu eum collocavit,

Ut eſſet, unde Chriſti causâ deſcenderet.

Aulam idcirco deſeruit, ne Infula, dum caput ſtringeret,

Simul & mentem coarctaret, majora Infulis moliendi.

De ſuo ære fundavit Noſocomium,

Cui inſerviret, ſibi miſer:

Huic perpetuò famulus, & Paterfamilias:

Egere maluit dives, ne egerent pauperes.

Peſte laborantibus commoriebatur collaborando morientibus.

Etiam nocivum àërem non horruit.

Per quem ſcivit viam eſſe ad cælum.

ELO-

ELOGIUM CVII.
Ulterior CAJETANI Vita.

EOrum præcipuè hominum ſaluti incubuit,
Quibus omnia cum feris communia, præter vultum.
Animarum propterea Venator dictus,
Quòd tam brutales prædas ſectaretur.
Urbs illi ceu ſylva profundior:
Ubi plerumq; Remus & Romulus nutricem exhibent.
Plateæ ceu nemus erraticum,
Forum vel ſi placet Boarium:
Palatia ceu ſpelæa: in quibus monſtroſam exhorreſcas Africam.
Venatus igitur Cajetanus,
Et capi poterant in plagas, mundi plagæ.
Poſtquam tam ampla tetendit retia, ut ſolus non ſufficeret, & retibus, & prædis fugacibus,
Sodales apposuit, & labori irretivit.
Fundavit Clericorum Ordinem, potiùs Apoſtolorum Familiam:

Ut unam alienæ salutis haberent curam;
Omnibus eos curis Voti Religione vindicavit.
Possideri ab iis nihil voluit præter DEUM.
Ut honorificentiùs Reginam Paupertatem coleret.
Ab ejus humero Manticam prohibuit.
Ne Eleemosynam alumni peterent, interdixit:
In summa rerum inopia peti voluit ab Eleemosyna, quam acciperet.
Nempe conqueri per fora noluit contra egestatem, quam intimè adamavit.
Joannes Petrus Caraffa Præsul Theatinus à lustrali fonte bis Apostolus:
Et Nomen Ordini, & se Præsulem Clericis addidit,
Nec amisit Præsulem sed auxit.
Sub Pauli IV vocabulo successit postea Petrō Principi,
Qui in Theatinis Petrum vixerat Piscatorem.
Sic prima Theatinorum planta adeò crevit sublimiter,
Ut infra illam sit,
Quidquid est infra cælum.

ELO-

ELOGIUM CVIII.
Ulterior CAJETANI *Vita.*

PEr Religionis Vota omnibus colligatus Virtutibus Cajetanus,
Sic vixit, ac si in eo Virtutes fuerint necessariæ, non liberæ.
In Romanæ Urbis direptione, verbera, carceres, tormenta sustinuit:
Et Romam iterum declaravit Martyrum Patriam.
Acerrimus Hæreseos hostis, & hostiles ei Hæreses:
Omnibus remis, velificabat Cymbæ Petri,
Miles Ecclesiæ Classiarius, & Classicus.
Integras noctes pervigil in sui corporis exitium,
Tam cruentus dilaniabat membra,
Ut occasum solis, & ortum sanguine rubefecerit.
Attonitum excitabatur cælum virgarum strepitu:
Pro sanguine nox refundebat rorem gratiarum.
Et contigit ut in templo ad Præsepe pernoctans:

Romæ Bethleem invenerit.
Delatus est à DEIpara Infans DEUS Cajetano,
Quasi meruerit, ut iterum uni sibi nasceretur.
Applicuit cordi Puerum, cor Puero:
Basia fixit, & accepit:
Et si loqui voluisset Infans, Nutritium compellasset.
Quia corpore etiam antipaticus alienis sceleribus Cajetanus
Cùm dolere nollent alii ad salutem,
Jlle dolore tabuit ad mortem.
Mortuus ferè pro peccatoribus, occasione peccatorum,
Sepultus Neapoli & ploratus ab iis
Qui si propria deplorassent crimina,
Hic vixisset.

ELOGIUM CIX.
Theatinæ Religionis Gloria.

TYrocinium est Præsulum Cajetani Familia,
Et Cajetanus Magister Præsulum.

Con-

Concrescunt hìc ingentium virtutum culmina:
Quæ dum privati Lares non capiunt,
Per innumeras Regnorum Diœceses molem explicant.
Sufficit aliis, ut pedetentim de virtute in virtutem transmigrent:
Tunc perfecti, dum perfici satagunt:
Aurum quotidie mundius,
Dum quotidie limam adhibent.
Theatinorum Ordo non habet gradus;
Nemo hìc nititur in sublime:
Quia nemo unquam à declivi exorsus iter,
Veteranæ perfectionis fastigium occupant,
Dum vel tyronem gressum movent.
Unde illis plana via
De Virtutis fastigio ad Honorum fastigia.
Bicolles sunt montes concreti invicem,
Alta Religio, & alta Dignitas:
Nulla vallis, & præcipitium euntes intercipit:
Brevissimum est iter, imò nullum,
Infulandæ Virtutis ad Infulas:
Attrahunt sese invicem, & agglomerant mentis radius, & radius tituli.
Orientalem Ecclesiam fulciunt humeris Theatini
Dum Græcam, Armenamq; juventutem excolunt,

 Ut

Ut utriq; Genti Præsules parent, & Apostolos.
Romanas utriq; Genti imprimunt Scientias:
Jamq; in medio Græciæ Latini disputant Basilii:
In Armeniæ medio Romanum æstuat forum.
Per Græciam olim mundus sapuit:
Per Theatinos, nunc sapit Græcia:
Supplent illi Aristotelem, & resuscitant:
Dirutas restaurant Athenas,
Vel fundant Thèólogi novas:
Ipsimet nova Sapientum Respublica,
Et Athenæ Thèólogorum novæ.
Pauca de hoc Ordine Orator innuit:
Non vitium est diligentiæ, nec materiæ,
Sed tardæ trans Alpes notitiæ.

ELO-

ELOGIUM CX.

SALESIUS
Monialium à Visitatione B. M.V. dictarum Fundator.

HIc natus genere Nobilissimo:
Et tales nascerentur si pura Innocentia Mater,
Ac amor Divinus Pater esse possent.
Puer septennis Virginem se DEO dedicavit,
Quod prodigiosiùs servavit semper.
Et quàm arduum. volâ flumen stringere, ut non effluat:
Sic difficilè florem intra fæces circumferre ut nidorem non attrahat.
In Parisiensi Academia geminam meruit lauream:
Pulchrum: quod ramosæ umbra laureæ non interceperit beatam lucem capiti.
Inde Lauretum redux aliam laurum meruit:
Illum laurus,

Dum

Dum innovatam Virginitatem coronavit.
Ædes illa iterum Nazaræna audiit,
Cùm de novo per Salesium florida.
Vidisses Gabrielem rursus Virginem, Divæ Virgini supplicem:
Non discrevisses utriusq; vultum, & vultûs verecundiam:
Nisì quod ille in umbratica facie ruboris imaginem,
Hic in propria, genuinam verecundiæ genam explicaret.
Porro, quantùm corpus àéreum à corpore luteo,
Tantùm Virginitas Salesii à Virginitate Angeli discrepat:
Triumphalior illa, quæ hostem habet, & vincit:
Quàm, quæ & hoste caret, & potiùs est attributum mentis, quàm virtus.
Audiit liligerum MARIA votum, & solam se devovit Sponsam Salesio:
Dotem insuper addidit, quam domi habuit:
Exiret Laureto Salesius, nunquam impuro erebi fulmine violandus.
Genevensi postmodum admotus ovili, plures accepit lupos quàm oves:
Illic Bonus Pastor pascua dedit non accepit:

Vene-

Venenum emulſit, & detrimenta,
Non lac & nutrimentum.
Novo tamen prodigio lupos in agnos transformavit, monſtra in miracula.
Ei nimirum facilè manſveſcunt lupi, & eſſe feræ deſinunt,
In quo nihil carnis olfaciunt:
Et ſi purum ſalem lamberint, in ovium naturam exemplo transmigrant.
Inde Septuaginta duo Millia Hæreticorum reconciliat Saleſius Eccleſiæ:
Tanta Hæterodoxorum converſio novam fundavit Diœceſim:
Et Saleſius horum poterat nuncupari Epiſcopus,
Si deeſſent reliqui,
Quorum erat Apoſtolus.
Labores tunc manuum ſuarum manducavit:
Recubuit ſub Vite, quam plantavit:
Ex agro meſſuit, quem fecit utilem;
Verior agricola, non conductus ad colligendã meſſem mercenarius:
Vel ex eo Præſul glorioſior,
Quòd non illi Diœceſis propter dotem adoptata in filiam:
Sed quòd cum dote nata.

ELOGIUM CXI.

Sanctimoniales à Visitatione B. M. V. dictas fundat.

PRototypon Virginitatis Salesius,
Cui Virgineam porrigeret regulam, si non Virginibus?
Cui alveare illud saperet, si non turbæ innocenti?
Porrexit fæminis Augustini Canones, & mores suos.
Poterat vices supplere Augustini, & Augustini ingenio scribere:
Sed mulierum mores feliciùs formantur à mortuis, & securiùs, quàm à vivis.
Rudis puellarum animus Doctore opus habet, à quo orbis universus sapuit:
Addidit tamen Salesius Constitutiones Ordini, & se Augustino immiscuit:
Charitatem, quam Iocò animæ habuit, inspiravit Familiæ,
Et fecit vivam Charitum Familiam.
Rigorem auxit mentium, dum minuit corporum;

Solas Divæ Matris laudes in Choro concinunt Sirenes Marianæ:
Et intelligunt faciliùs Superi laudes ſuas, dum ſe intelligunt laudatrices.
Eædem Virgines à Viſitatione DEIparæ titulum induerunt:
Nempe Saleſii Monaſteria ſunt cognata MARIÆ domicilia:
Viſitat illa DEIparens, & jam habitat:
Hoc præſtat Innocentiſſimæ Genti beneficium,
Quod Infanti præſtiterat Joanni: (a)
Manum Domini admovet ſingulis,
Quâ liligerum cum Agno connubium paciſcantur.
Quantis Saleſi, inter Superos diffluis gaudiis?
Tam numeroſæ exhilarant Te nuptiæ,
Quàm multas Chriſto Sponſas collegiſti:
Tot vertice ſerta colligis:
Quot à Virginibus lilia in cælum deferuntur.
Unde meritò Capiti Tuo inſederit columba nivea:
Adhuc terrigena jam lacteis coronabaris laureis.
Inter quas nidificare voluit, innocens volucris.
Redimitam ſapientiæ oleâ ſuſpexerat columba frontem:

(a) Alluditur ad illud Lucæ I. *Manus Domini erat cū illo.*

Ramum rapere venerat, quem Elyſio implantaret:

Aut cum ramo illuc properaverat, Nòémi Arcam in Saleſii Capite ſuſpicata:

Plures enim animas in Petri cymba Saleſius ſervavit à naufragio,

Quàm, dum Nòé ſervavit Orbem à diluvio.

Diviniorem ego miſſum à cælo Spiritum arbitror:

Inter ſordida mundi cadavera non erat ubi pes ejus quieſceret, (a)

Solus occurrerat Saleſius aliger, ubi aliger DEUS recumberet.

Chriſtoformem Virum hunc ne dubita:

Meliore auſpicio,

Ceu ad Jordanem, quis fuerit, declaratur.

Advertite o Saleſii Filiæ, quem ſine felle Patrē geritis:

Hæc volucris in nulla conſidet arbore, quæ ſpiret abſynthium. (a)

(a) Alluditur ad Gen. 8. *Non erat ubi requieſceret pes ejus.*

(a) Refert Plinius

ELO-

ELOGIUM CXII.
Mors SALESIJ.

ETiam morbus Salesii ritu majore dignus.
In festo febri infestatus, ne profana censeretur ægritudo.
Piissimus ille corporis labor esse debuit, ne sanctiorem violaret diem:
Et febris solenniore Altari digna, quàm olim Romæ Febronia.
Lux illa Joanni Evangelistæ Sanctior micuit,
Ut morbum Salesius intra Numinis gratiam reputaret.
Credesnè ubi æger hic decubuit?
Cesserat Zebedeus illo pulvinari, in quo magnā sub Cœnam requieverat.
O miras tunc affectuum vices!
Pincerna ille divinior Joannes salutem non propinavit calice, nec vovit sanitatem:
Invitavit potiùs gustum, ubi potaretur torrente voluptatis æger.
Tu Salesi spem concipe:
Evangelista Beatorum Te libro connotat.

Joannes Evangelista pingitur cū calice.

Tota Tibi vita Evangelium,
Et ultima vitæ periodus digna Evangelio fuit.
Inter Natales DEI ferias moriendum est,
Ut iis cælum subeas foribus,
Quibus Gigas descendit in terram DEUS.
Nec asperam timeas ad superos viam, Vir Tibi asperrime:
Per decembrales properandum est nives molliter, & celeriter.
Talis Innocentissimum Viatorem decebat Appia.
Obviabunt eunti Innocentes Parvuli Innocentiam in Te adotaturi infantilem.
Palmas adsternent itineri non caducas, ut incedas triumphator.
Rachelem tunc aget Mater Ecclesia tuo in funere:
Iis dignus est lacrymis Salesius,
Quibus plorabatur Innocentissima mors Parvulorum.

ELO-

ELOGIUM CXIII.
PHILIPPUS NERIUS.
&
Congregatio Oratorii Fundata
Circa Annum MDLXX.

FLorentia, Italica Tempe hunc Ecclesiæ florem edidit,

Et Ecclesiam coronavit.

Vernavit statim adolescens frugi, etiam dum triduanis aruit jejuniis.

Ne etiam telluri adhæreret, floreret tamen formosiùs,

Amplissimam Patrui hæreditatem dimisit.

Jam hæres Cælo, exhæres domui.

In Calixti Cæmeterio pernoctavit sæpius, ut rorem biberet, & cresceret.

Martyrum illud est Mausolæum, Philippo melioris vitæ incunabulum.

Inde sanctitatem dormientibus Sanctis sustulit.

Ad Sacros Ordines promotus nonnisi invitè,

Infu-

Infulis etiam appetibilis:
Et gestasset Infulas, ni altiore animo impediisset Infulas:
Et caput haberet majus, quàm quod Tyaræ circumcluderent.
Populorum tamen saluti consuluit mente Infulata;
Laboravit circa oves, dum sine pedo pavit:
Continuus vigil circa ovile, quamvis ovili caruit.
Frequentiùs septem obivit in Urbe Ecclesias,
Et fecit laborando, & precando,
Quasi stationes suas, Romanus Stator:
Stitit illic sæpius labentem mundum, dum pertinaci Oratione sustentavit.
An autem impetrare aliquid potuerit? nescio.
Nullo pœnè DEI dono caruit.
Illius Oratio fuit publica, non privata.
Jubileum mundi, non unius Altaris indulgentia.

ELOGIUM CXIV.
PHILIPPUS
In áëra levatur Orans.

UT videret mundum, pro quo ſupplex caderet, ultra mundum Philippus attollitur.
Ut viderent & Cælites ſupplicem, aſtris eundem intimiùs admoverunt.
Allocutus tunc ille DEUM è propinquo familiariùs,
Ut amici ad aurem ſolent.
Reſpondit illi DEUS per ſeipſum:
Ut Principes mediaſtinis, quos lateri admovent.
Vix poterat quidquam negari à DEO ſupplicanti:
Donis à cælo venientibus in auras occurrebat,
Pulſaturus manu ſidera, vel effracturus,
Si ad gemitus vocales obſurdeſcerent.
Aſſurge Philippi Propago altiſſima:
Intra nubes conceptam Te intellige,
Mundi & Eccleſiæ Refrigerium.
Cæleſtes hauſit in àére Spiritus Patriarcha, quos inſufflavit,

Nec tu aliud ſpirare potes,
Quàm, quod ſpirant cæleſtes ſpiritus.

ELOGIUM CXV.
PHILIPPI
Coſta in latere rupta.

(a) Ezech. 17.

EX àére redibat Nerius ardentior, (a)
Ceu pullus grandis illius Aquilæ plus ſolis biberit.
Seraphicum hauriebat amorem, humano majorem pectore:
Diduci debuit pectus, & coſta frangi lateris,
Ut cor plus cæli comprehenderet.
Tunc perſpicuus magis Philippus patuit,
Fractum ad viſcera os, feneſtram aperuit cælo,
Et ad animum viam Chriſto.
Quantùm operatus in corde Philippi Chriſtus, collige!
Grave cordis negotium fregit latera.
Sentiri tamen dolor nequiit ex vulnere,

 Vide-

Videbatur tantùm laxari pectus,
Ut Athleta Nerius reſpiraret validiùs,
Ne citò laſſaretur in ſtadio,
Auram hauſturus capaciore ſinu largiorem.
Ex eadem Coſta prodiit ædificata Philippinorum Congregatio :
Ut è Chriſti Latere Eccleſia :
Unde vitam halant, quam ſpirabat cor Nerii:
Ardeſcunt eo igne, quem rapuit è cælo,
Divinior Prometheus, ad æthera exaltatus.

ELOGIUM CXVI.
Amicus JGNATIO PHILIPPUS, PHILIPPO JGNATIUS.

QUàm vera ſit Philippi, & Jgnatii amicitia, teſte non eget :
Credi poteſt articulus fidei, quæ miraculis approbatur.

 Dum

Dum ſalutant ſeſe invicem duo homines, tertius eorum ſaluti DEUS ſeſe immiſcuit.
Lux cælo miſſa utriusq; lambit verticem, & amicitiam coronavit.
Hæsêre in aſpectu mutuo ad invicem penetrati, & extra ſe rapti:
Vidêre ſua intima, tali Phoſphoro illuſtrati.
Neuter dubitavit de amore alterius, quem æther auxit, dum flammavit.
Locuti Divina Magnalia ferventiùs, poſtquam illa in Capitibus ſedit Pentecoſte.

Quæ duorum Capitum flamma fuit,
Eadem flagrat in Capitum membris.

Nullum frigus intercipit, utramq; propaginem Lojolæ, & Philippi.
Unus Patriarcharum ignis, unam vult in poſteris materiem,
Ut ſeſe accendant, accendanturq; reciprocè.
Voluit Lojolanus fieri Philippus, noluit Lojola Philippum ſuum, ne haberet unum.
Tota Philippi Congregatio affectu eſt Lojolana:
Lojolanus Ordo affectu, totus in Philippi Congregationem congregatus.
Geminæ ſunt Filiæ, Religio Jgnatii, & Congregatio Nerii:

Pœne

Pœne ſimul natæ, ſimul educatæ,
Cum lacte amorem imbiberunt mutuum,
Hunc voluit DEUS neceſſarium, & non liberũ,
Dum ne mortalis eſſet, demiſit à cælo immortalem flammam,
Quæ pro amantis arbitrio minui, & augeri nequit.

ELOGIUM CXVII.
Sanctitas Congregationis Oratorii.

ORatorium Veſtrum Patres! Templum eſt DEI:
Vos continui ad DEUM Oratores,
Et perpetui in cæleſti curia Legati.
Nullum DEI munus eſt, quod Oratorium non impetravit, & non habeat
Nulli homines aggregati Oratorio, qui non Electi.
Omnium exemplaria, ſint pauci quos profero.

Angelus Velleius, moribus alter Angelus:
Vel unius viri integritas, Angelicam Hierarchiã immiſcuit Oratorio.
Nihil Velleius hic unquam voluit, quod DEUS non vellet in Velleio.
Exequebatur ille voluntates Divinas, ut ſuas:
Et quidquid DEUS approbabat, ille voluit, ut vitæ regulam.
Nicolaus Lilius ſui contemptu eminens:
Virtutes etiam Sarcinulis impreſſerat,
Quas Sanctus Philippus, ut Sanctam virtutum ſupellectilem honoravit.
Prænuntiavit ille diem ſui obitus, quia ſcivit quo erat abiturus.
Aliis certiſſima mors eſt incerta: æternitas bona incertior:
Invitatus Lilius à Cælitibus, ut Civis à Concivibus.
Æternitatem ingrediebatur non dubius Comprehenſor,
Qui vix ullo ab æternitate veſtigio Viator aberravit.
Alexander Fideliùs à ripa Tranſona:
Franciſcus Marſupinus.

Joan-

Joannes Baptista Modius & sexcenti, iis Oratorium ornârunt decoribus, Oratorii Imagines,
Ut Clerus hic videatur esse Apostolicus, & sit ille,
Qualis erat, dum Laurentii, & Stephani coronabant Ecclesiam,
Uterq; Clericus laureatus, & uterq; coronatus.

ELOGIUM CXVIII.
Oratorii Sapientia.

ROmæ Oratorii Congregatio coaluit,
Et Orbis Capiti par Cerebrum habet.
Patres hi ad universi mentem sapiunt:
Et Vaticanum capitibus fulciunt.
Thomas Bozzius de signis veræ scripsit Ecclesiæ,
Et veram demonstravit Ecclesiam vel ex seipso.
Caruerit hæc prodigiis, credi posset Bozzio de Ecclesia attestanti.
Thomas hic quasi digito palpaverit latus Christi,
Unde prodiit Ecclesia,

Ad oculum illam digito indicavit.
Cæsar augusta mole succedit Baronius Historicorum Imperator:
Acta Sanctorum explicuit Orbi, velut alter Lucas Apostolorum Acta.
Quantum meruit de Ecclesia!
Baronii calamus, est Ecclesiæ Radius:
Et Baronius Bibliothecarum sol.
Quidquid omnium Divorum est, manu comprehendit:
Dignus suis inseri Annalibus, magna sui Historia.
Quasi scientiam Sanctorum comprehensi,
Nonnisi in Sanctorum elogia assurgitis Patres.
En & Antonius Gallionius, velut alter Baronii erigit sese humerus.
Commendavit ille posteritati Divos, & extulit:
Eorum gesta publicavit, viva Divorum Fama.
Perennabit in suismet monumentis immortalis, & Oratorium in illo perennabit.
Agnoscit Orbis, & relegit: Philippi Familiam esse, Ecclesiæ Musæum Sanctius:
Omnium Cælitum Historiographiam.

ELOGIUM CXIX.
Honor Oratorii.

QUatuor numerat Cardinales Oratorium,
& quatuor ſunt Columnæ mundi.
Cæſarem Baronium fecêre Sancti Cardinalem,
& nemo ſanctiùs ad purpuram eſt promotus.
Ipſemet colorem addidit purpuræ ex atramento:
Per ingentia volumina, gradum ſibi fabricavit
ad faſtigium:
Et nemo aſcendit ſecuriùs, quàm cui ſapiens
pagina ſuggeſtum fabricat.
Alphonſus Vice-Comes
Franciſcus Taurusius
Tandem & Coloredus Senatus ſunt Eccleſiæ,&
Majeſtas Oratorii.
Petro ſucceſſiſſe poterant, niſì ea præſtitiſſent
Eccleſiæ ſine mitra, quæ alii præſtitère coronati.
Infulas non recenſeo rejectas ab animo, non
à merito.
Plures Infulæ numerarentur in Oratorio ſpre-
tæ, & contemptæ,
Quàm alii Ordines recenſeant admiſſas, obtru-
ſas jactent,

ELOGIUM CXX.
JOANNES de DEO
&
Ordo Hoſpitalitatis Fundatus
Anno MDLXXI.

ORiginem Ioannis laudavi ſatis,
Cùm aſſerui de DEO prodiiſſe.
Duo præſertim miracula, divinum ejus declarant ortum.
Campanarum ſonus, & lux cæleſtis natalem domum lambens.
Magnum videbatur prodire charitatis Sacramentum,
Feſtus æris ſonus, adorationem populis perſuadebat.
Exturbatæ ſunt nubes, & cælum arriſit infanti ſereniùs,
Aereæ poteſtates fugatæ ut veſpæ.
Quin jam erga Joannem intimabatur pietas;
Ut Urbs ad recens illud amoris ſacrificium concurreret.

Claſſi-

Classicum istud est miraculum,
Ne de futura Pueri Sanctitate dubites:
Puerum invitabant Campanæ, ut aras occuparet,
Qui Augustum ipsemet DEI Templum patuit.
Aliud prodigium flamma & illustrius.
Natum in sanctorum splendoribus ne quis Joannem ambigat,
Vix natus, jam notus sub luce fulsit:
Vix creatus, & Beatus sub radiis micuit.
Triumphaliter ingressus Orbem, tanto lumine salutatus.
Cruda Pueri ætas, ne amarorem sapiat,
Cælesti igne excoquitur.
In illustrem excrescet spem Ecclesiæ,
Quem DEUS Sacerdos, baptismo flaminis lustrat & illustrat,
Vix eguit ampliùs fonte baptizari.

ELOGIUM CXXI.
Reliqua JOANNIS *Vita.*

NAtalem prodigiosum, reliqua ætas prodigiosa sequi debuit.

Splendido ortui connivere ſuevit meridies, & veſper.
Nulla virtus in Joanne micuit,
Quæ non fuerit velut lucis increatæ particula:
Nullum ferè reſpirium, quo non halaret illud incendium,
Quod hauſit, cum primò puer riſpiravit;
Et incendium illud fuit Empyreum,
Infans fuit Empireo centrum igneum.
Unde in Joanne nihil illuſtriùs, quàm charitas.
Infuſa priùs illi, quàm creatus lucis uſus:
Et ille prius amare Cælites potuit, quàm vivere.
Quia verò Regina virtutum charitas eſt;
Sine ſatellitio, & aula eſſe nequiit.
Servierunt charitati virtutes, cerne numerum:
Nulla virtus ſine charitate eſſe poteſt, inſi mortua:
Nec charitas viva putari debet, niſi illam omnes virtutes animent.
Collegium itaq; virtutum Joannem crede,
Si unâ plenum charitate ſuſpicis.

ELOGIUM CXXII.

Pampelone sub IGNATII Lojolæ *gubernio* IOANNES *militavit.*

DUcum laurea Milites sunt: quia Duces Militum victoria:
Neq; arant neq; metunt gregariorum gladii,
Nisi ut Imperatores herbam colligant.
Neq; Imperarores herbam colligunt,
Nisi ut in gregariorum vaginas, messem convehant.
Militavit Ioannes Jgnatio, Ioanni Jgnatius:
Pampelone uterq; victus, & uterq; sui postea victor:
Tormentario percussus Lojola orbe, è sinu excussit Orbem:
Quia Ducem amavit Ioannes, vulneris instrumentum execratus Orbem.
Sensit se eâdem pilâ læsum in animo,
Quâ læsus erat Jgnatius in tibia:
Toto igitur Orbe fundare Xenodochia instituit,

Ut tunc conceptam ægritudinem clauderet,
Forſitan inſervivit Lojolæ langveſcenti,
Et è plaga ſalubre hauſit contagium.
Claudicantem ſtatuit Ducem ſubſequi,
Cùm jam apud utrumq; mundus claudicavit.
Uter alteri Ariſtoteles, & uter Alexander fuerit,

Dubitat:

Niſi forſan è claudi Lojolæ Magiſterio hic didicerit, proſtratum ad pedes Orbem conculcare.
Tu Ducum fortiſſime Lojola animum erige,
Dum militares criſtas excutis:
Jlle Imperator audies,
Cui Religionum Duces ſint pediſsequi.
Læſæ ſtrepitu plantæ tot Heroas ſub ſigna evocaſti contra hoſtes tartareos.
Quot viros etiam Joannis Hoſpitalitas numerat.

ELO-

ELOGIUM CXXIII.

Fundat Hospitalitatis Ordinem.

EX morbi magnitudine virtus Hypocratis colligitur:
E periculi ſtrage, fortuna medicinæ innoteſcit.
Totus in maligno poſitus languebat mundus,
Quantus ſit, qui tanto ſuccurrit ægro,
Hoſpitalitas indicat.
Fundavit Joannes Ordinem, in morientis mundi remedium, & quaſi vitam:
Extruxit cænobia, in quibus univerſalis populorum Sanitas habitaret.
Quisquis es à latronibus ſaucius o Viator!
Samaritanum providit DEVS, & lectum:
Alligabit Ioannes vulnera:
Auferet dolorem vel dum aggemet:
Subtrahet dolendi materiam, dum accipiet.
Vir enim piiſſimus, nulla exhorreſcit corporum vitia.
Benè olent illi Mephites putridæ.

Pestilentes carbunculos, ut gemmas æstimat:
Vlcera sugere suevit, ut matris Patientiæ ubera.
Nasci visus est Ioannes, ut morbos id est peccati pœnam, in virtutes recoqueret:
Virium humanarum detrimenta, in æterni lucrum præmii transmutaret.
Exularet pridem mundo Patientia,
Quia hospes ingratus populis,
In hospitalitatis claustro, Patriam invenit,
Quia ibidem charitati commanet.
Tutor est Ioannes Patientiæ, & quasi Frater,
Fovet illam ut sororem:
Desponsat ægris, ut DEI Filiam.
Dubitandum est:
Num Ioannes Adamo, Abrachamo, Isaaco,
Pater fuerit melior, an felicior:
Nullum inter Abeles Caimum,
Inter Isaacos Ismaelem,
Inter Iacobos Esavum,
Omnes Bonos Fratres peperit,
Inter Bonos, Optimus Patriarcha.

ELO-

ELOGIUM CXXIV.

Clerici Regulares Pauperes Matris DEI Scholarum Piarum.

Qualis est modestia Vestra
Patres Religiosissimi!
Inter Principes censeri Religionum familias;
Et inter illas laudari nolle;
Alias æquare virtutibus,
Et velle æqualitatem fugere:
In publica versari luce,
Et revelari detrectare.
Postulavi ad coronam operis,
Daretis gemmas:
Hisce umbris crederetis radios.
Qualis est modestia vestra, & injuria,
Hanc factam mihi & vobis doleo, nec absolvo:
Illam patior, & laudo.
Occasionem forsan suspicionis accepistis? non dedi:

Laudavissem aliàs, quàm creditis:
Ubi etiam defecisset ingenium intra se brevius,
Sua sibi esset Panegyris, majestas argumenti.
Vestræ huic virtuti obmurmurant Religiones aliæ;
Sidera sunt,
Lucem amant mutuam, ut dent, & accipiant.
Ipsimet Vestri Ordinis Divi Proceres arguunt;
Magis æstimari à Vobis silentium,
Quàm, (dum per Evangelium expedit) famam publicam.
Optant fortè numerari inter ingentes viros;
Pares animæ:
Inter Doctorum laureas, Frontes laureatæ:
Certè ego minimè Tropicus,
A Proprio ad Improprium nihil transponerem,
Magis Studiosus Hyperboles, quàm Catachresis.
Magna hæc injuria Patres!
Mereri apud omnes laudem:
Intra Ordinem infinita laudabilia claudere;
In multis celebrari Cathedris:
Ab uno laudari nolle.

IGNA-

ELOGIUM CXXV.

JGNATIUS LOJOLA & Ordo Clericorum Regularium *Societatis JESU.*

Summorum Pontificum, Conciliorum, Cardinalium, Præsulum, variorumq; præstantissimorum effatis Virorum laudati.

PARÆNESIS Ad S. JGNATIUM, *& Societatem JESV.*

LAudet Te alienus,
Et non os Tuum (*a*)
Pater Divinissime:
Etsi enim laudes Tuas, Tuæq; Societatis præconia:

(a) Prov. 27.

 Ipsi-

Ipsiusmet alumni tantummodò celebrare valerent;

Innata tamen modestia (b) *inter sua cæcutit decora:*

Suummet sibi negat penicillum, & artem,

Quia nec alium patitur colorem, præter umbras.

Laxarem ego habenas affectui, (c) *& irem in encomia impetuosior:*

Sed me revocat Familiæ submissio, (d) & vel literam sistit imperfectam: (e)

Linguæ fræna iniicit moderatio: (b) *ne præcurrat, quos decrevit subsequi.*

Mavult Societas laudabiliter facere, quàm laudari: (d)

Et utiq;, dum eam tantùm nomino, satis laudo. (f)

Iis etiam enarrandis, quæ toto Orbe præstat,

Nec solertissimi scriptoris stylus, par esse potest, (g)

Nisi scriptoris stylus, Orbi se coëxtendat.

Domesticum igitur excedis eloquium:

Dum ea enarrare prohibes, quæ fiunt Domi. (h)

Ingentium Virorum laudes patere,

Quas verecundus rubor elevat,

Dum pingit Trabeatas.

(b) *Paulus Arestus Episcopus Turon. Serm. de SS. Mart.*

(c) (d) *Petrus de Arag. filius Ducum terræ novæ in sermon. de S. Ignatio.*

(e) *Regul. su.*

(f) *Hortensius Paravisinus in Festo S. Borg.*

(g) *Puteanus Orat. de purif. B. M. V.*

(h) *Regula sum.*

Qui

Qui in Tua assurgunt encomia,
Aliqui falsa non possunt dicere,
Nonnulli vera enuntiare debuerunt,
Neminem profana violavit adulatio.
Citra invidiam Lectoris sunt etiam invidi,
Quidquid Purpuratis majestuosa Auctoribus
explicat pagina.
Reverebuntur hic subditi terribilium Decreta
majestatum:
Approbabunt Posteri ingentium Avorum dicta:
Vniversi etiam qui malè vident poterunt legere,
Quod pridem publicæ lucis diem habet.
Fibulam ego hic quamvis plumbeam,
Aut nonnisi filum attexui:
Labirinthum enim ingreditur *laudator Theseus,*
Quisquis de Horto hoc, cælestes satagit flores
colligere (i)
Sed tamen vel filo, satis Patri degenerem filium obligavi.

(i) *Hurtadus de Mendoza Ep. Ianuariensis in Brasilia.*

ELOGIUM CXXVI.

JGNATIUS LOJOLA DUX Socii JESU Prætoriani milites. (a)

(a) *Lipsius ad Ernestum Archiep. Colon.*

H*ispanum exuit sagum Lojola,*
Non Heroëm.
Prælegerat eum Dominus, ut eorum Dux fieret,
Qui portarent ejus Sanctissimum Nomen coram
Gentibus, & propugnarent, (*b*)
Excellentiam Ducis Gentes advertite:
Sufficit paucis ut sint electi (*c*) *ad pugnam, &*
triumphum:
Ille ex paucis etiam Prælectus.
Ad Pampelonem læsus in tibia prælusit militiæ,
Quatenus postea Divinum Nomen de genu propugnaret,
Et omne creatum genu eidem inflecteret.
Quando tamen tunc cecidit, Altus Imperator
(*d*) *stetit:*
Quia illi tenebrarum Principi opponi debuit,
Qui super astra DEI solium exaltare studuit,

(b) *Urbanus VIII in Bulla Rationi 1628.*

(c) *Multi vocati pauci electi.*

(d) *Gregor. XV. in Imag. Soc. l. 5. c. 10.*

ELO-

Quantus in cælis Michaël, ille in terris Ignatius:
Septimum hunc *cense* & fortem Angelum
Lutheri tempore, (*e*)
Primo Dæmonum Principi, *hoc fulmen* DEUS
opposuit. (*e*)
Cùm suo fulmine fulgura & tonitrua illuxerunt
Socii (*f*)
Sic tertiam *illam* stellarum partem *triumphârunt*, (*g*)
Vt vel ideò Lojolæos cineres reliqua astrorũ pars coronaret. (*h*)
Unde feliciter per hos diabolicæ legiones confundi solent: (*i*)
Ex puteo abyssi, quem hydra Lutherus aperuit,
Ne nocens flamma ebulliat,
Obsistit Ignatius, & acies verè ignea, (*k*)
Et extinguit ignibus ignes.
In omnibus ille salutis est spiritus, qui est cælestis: (*e*)
Singuli, militia de cælo lapsa: (*e*)
Contra spiritus pugnant, Seraphini quidam; (*l*)
Tuentur alii cælum, ut Paradisi custodes Angeli (*m*)
Profani ergo Duces triumphaliter accendant pyras, Dum

(e) *Concilium Terracon. ad Clemen. VIII pro. Beatif. S. Ignatii.*
(f) *Ioan. de Chares. Augustin. Prior salm.*
(g) Apoc.
(h) *In resoluto S. Ignatii corpore apparuerunt stellæ. Histor. vitæ.*
(i) *Urban VIII. ad Vladisl. Polon. Regẽ.*
(k) *Ludovisius Card in Panegyr. S. Ig.*
(l) *Gasp. de Vil. Archiep. Cassensis.*

Dum in prœliis homines vincunt tanquam arbores: (n)
Triumphatus ab Jgnatio Orcus,
Eidem est rogus triumphalis.
Sed ne extra domum quærat victoriæ decora:
Singuli Societatis homines, frugiferæ sunt Palmæ (o)
Singuli Trophæum militantis Ecclesiæ. (p)
Invida peregrinare vel ad orcum fama;
Nullum illic invenies Lojolæ spolium,
Orcum invenies multa parte spoliatum.

(m) Urbs Placensis in Siciliam admittens Societatem, hoc titulo eandē salutavit.
(n) Video homines tāquā arbores. Matt. 8.
(o) Pius V. ad Reg. Hisp.
(p) Raimund. de Laina Cā. Reg. in Conc. Placētiæ habita pro Canon. S. Jgnatii.

ELOGIUM CXXVII.
JGNATIUS APOSTOLUS, Societas Apostolica.

Ex eodem fundamento assurrexit Societas,
In quo fundata est Ecclesia.
Ægrotanti Jgnatio Petrus inspiravit se Apostolum:
Ordini se in basim supposuit.

Pam-

Pampeloniæ arcis rudera, inchòârunt fabricam:
Plumbum, & sanguis è tibia, vices cæmenti egit:
Valida se Petra, & Lapis immiscuit Angularis:
Unde ædificata est insuperabilis Arx fidei. (*a*)
Et exstructum grande Cænaculum Domini, (*b*)
Quod dum adimplevit Pentecoste, (*b*)
Apostolos igne variarum linguarum accensos, ad Orbis conversionem aperuit. (*b*)
O homines salutis alienæ Studiosos!
Et animarum Magistros! (*c*)
Non itinerum, non navigationum laboribus terrentur, aut periculis, (*c*)
Totus illis pervius Orbis, & calcatus:
Exhaustus integer Oceanus, & auctus sudoribus:
Suismet Terroribus Terrores,
Et periculis facti periculum,
Eò gentium pervenerunt,
Quò nec ipsi penetrarunt Apostoli, (*d*)
Nec vestigium fidei Evangelicæ pertigerat. (*e*)
Forsan ideo Lojolæ pedem Petrus Sanaverat,
Vt in Lojolæa cohorte Pedites haberet Ecclesia, & Pedes, (*f*)
His illa sustentatur & progreditur, (*f*)
His nixa stat columnis (*g*)

(a) Cardi Ludovisius.
(b) *Hortensius Paravis Orat de S. Borgia.*
(c) *Pius V. in Bull a Dilect. 1567.*
(d) *Prudentius de Sandoval. Episc. Pompejopoli.*
(e) *Petrq Cornel. Carmel. in Canoniz. S. Ignat.*
(f) *Damianus de Lugone Serm. de B. Aloisio S. J.*

Et ubi Societas figit vestigium;
Hæresi terminales locantur Obelisci
Invenies hic Paulos Doctores Gentium (*h*)
Et Patris Agricolæ omnes operarios: (*h*)
Zyzania extirpare, bonum semen renovare,
Terras Ecclesiasticæ disciplinæ vomere eradicare non cessant: (*i*)
Suum putant Thesaurum (*k*) *in agro Domini absconditum:*
Agrum excolunt,
Quia suum habent Thesaurum pro laboris pretio,
Et maximum Thesauri Pretium.
Vel Romam ingressi, brevi mutârunt Romam: (*i*)
Isti amici DEI dispergebant se per vicos & plateas Urbis, (*l*)
Et in Urbe cælestem fundârunt Hierusalem.
Invida peregrinare Fama:
Alium Orbem interroga,
Qualibus salutem debet Apostolis.

asserit pedes esse Ecclesiæ.
(g) *Raim. de Laina Can. Regular.*
(h) *Hortensius Paravisinus.*
(i) *Pius IV. ad Philippum II. Hisp. Reg.*
(k) *Liber, quo Regulæ Soc. continentur, Thesaurus appellatur.*
(l) *Hieronymus Roman. Aug.*

ELO-

ELOGIUM CXXVIII
Ecclesiæ Soc. JESU militat.

Piræus Calvinista, & Calvinistarum pyra,
Societati JESV radium addidit:
Cùm Jesuitas Primipilares Romani Pontificis appellaret.
Hæc illa cohors est, quam Petri Successores pro sua habent (*a*)
Nec debet ei Romanus Pontifex pendere stipendium (*b*)
Sine congiario militant, non Mercenarii:
Avidiores victoriæ, dum inaniores auro:
Laboribus saturi, & sudoribus ebrii;
De reliquo: in cura corporis nauseant.
Sine sarcinarum igitur impedimentis alacres,
Mundo felicitatem, Ecclesiæ salutem, (*c*)
Sibi gloriam parant, & adferunt.
Freme Hæresis, & telum vibra!
Læsa cerebro in caput Ecclesiæ manum erige:
Ab Ignatianis temporibus, nullum incuties ictum, (*d*)
Quem Societas, uti Brachium Ecclesiæ dextrum,

(a) Pius IV. Lusitano Orator. p. 4.

(b) Histor. Soc. l. 5. n. 159.

(c) Florimund. Remund Cãcell Galliæ.

(d) Christoph. Arend. Serm. in Canon.

SS. Ignatius & Xavier.

Sic intimum capitis Præsidium, (*d*)
Non avertat & regerat.
Idcircò vel ab Indiis Romam, protendit manum Xaverius,
Iuratam bello dexteram Annulo desponsaturus Piscatoris.
Isti sunt Religionis Humerus præcipuè in Polonia. (*e*)
Atlantis instar sustentant fidem.
Isti insuperabiles Æacidæ cælitùs missi: (*f*)
Ut tam longo, & funesto Hæresum bello imponant coronidem (*f*) *& coronam Ecclesiæ.*
Lerneæ Paludes extimescite!
Occurret sacer in Romano cælo Hercules Ignatius, (*g*)
Hic monstris expurgabit orbem,
Et Errorum portenta exterminabit prodigia.
Quænam sint hujus militiæ arma?
Profligati referte hostes.
Benedictus spinas Christi asportavit, (*h*)
Vt hoc sepimento Christianum Orbem obvallaret:
Dominicus flagella, *flagellum ipsemet scelerum:*
Franciscus Stigmata: *non unum ipsemet vulnus*
Superstitioni Barbaræ:

(e) *Damian de Lugonez ser. de S. Aloisio.*
(f) *Florimund. Remun. l. 4. de Hæresum ortu.*
(g) *Raimundus Laina Cant. Regul.*

Igna-

Jgnatius asportavit Crucis Titulum; (h) & Crucem in Titulo:

Hanc in ejus Humerum Triumphator DEVS transposuit,

Dum eunti Romam cum Cruce obvius Cruce benedixit:

Quo igitur signo triumphatum in Calvaria,
Hoc, terrarum ubiq; & marium,
Orbis à servitute hostium vindicatur:
Sufficit Crucigeram hanc Aciem in campo suspici,
Et fugari erebum.

Suo quondam Crucis Titulo inclinavit DEUS verticem, & gravem sensit: (i)
Erectis quisquis assurget Cristis,
Vbi advertet Titulum, & Nomen Tituli,
Submittet mentem, & collum jugo.
Habet enim Jgnatius in JESU Nomine,
Ad Universi Orbis victorias Titulum.
Si experiri vis,
Invida peregrinare Fama,
Vtrumq; Orbem interroga,
Cui militiæ Triumphos debet,
Per Triumphos Pacem.

(h) Bernardinꝰ Lopez Cisterciē. in Thes. Eccl. Demōstrat. l. 8. f. 259.

(i) Posuit causam ejus: Inclinato cap. Matt. 27.

ELOGIUM CXXIX.
JGNATII Sanctitas, & Societatis JESU.

QUâ Nanzianzenus Athanasium,
Eâdem Panegyri Jgnatium laudavero (a)
Quibus ipsa virtus condecoratur encomiis,
Iisdem condecorandus est Jgnatius,
Cùm virtus, & Jgnatius nihil inter se differant. (á)
Nisi, quod illa unius duntaxat sit ornamentum mentis, quâ recipitur,
Jgnatius Vniversum quodammodo Genus Humanum consecrat.
Non degeneres à Patre Filii, tanta sanctitate sunt conspicui,
Ut Filii ipsius Sanctitatis esse videantur. (b)
Nihil inter illos mediocre, omnia prodiêre magna. (c)
Hos templum autuma Pietatis & Poenitentiæ,
Mortificationis & Zeli (d)
Infinitas occupant Aras virtutes aliæ:

(a) *Ludovicus Carrera, Cordub. in præfat. ad Hist. Orientis.*

(b) *Alphons: Bosserques in Canoniz. S. Jgnatii.*

(c) *Ioan. Frãces. Canon. Burgensis.*

(d) *Sebastianus de la Pazza Cisterciens. de Beatif. S. Jgnatii.*

Fides,

Fides, & Religio, Modestia & Amor;
Latera tenent fabricæ;
Et qui Templum sunt,
Ipsimet sunt juge DEI Festum (*e*)
Tota Religio Pharus Virtutum,
Et perfectio sæculi nostri:
Censeri debet. (*f*)
Commendatione non indiget, quæ Seminarium est Sanctitatis (*g*)
Scientiarum & Virtutum Emporium (*h*)
Divinarum Hortus deliciarum, (*i*)
Elysium, imò Gloria Paradisi. (*i*)
Postrema quidem hæc Religionum omnium:
Sed ut aliæ præcederent, quas comprehenderet. (*k*)
In illis habitant Asperitates, & Doctrina,
Prædicatores, & virtutum multarum Magistri.
In Societate id totum continetur. (*k*)
Sed forsan Civilior vestis,
Commodus rerum usus,
Communis Jejuniorum parsimonia,
Tantis obloquuntur laudibus,
Et plebeiam esse virtutem indicant,
Quam exteri, & pathetici rigoris:
Radius non coronat.

(e) *Eusebius Ascet.* l. 19 *doctrina* 6.

(f) *Puteanus in Orat: de Purif B.MV.*

(g) *Gaspar de Villariel Ep. Paraquar.*

(h) *Anton. ZAra Episc.*

(i) *Ludovicus ab Angelis Basilianus.*

(k) *Hieronym. Rom. August.* l. 6. de Reg. *Christianis.*

Sed

Sed nec lilia hirsutis teguntur floccis:
Beati & illi qui solam esuriunt, & sitiunt Iustitiam:
Si potes,
Invida ingredere cælum Fama;
Invenies,
Igneæ principaliter cohortis in cælo centrum esse,
Et Sanctitatem illustri centro terminatam.

ELOGIUM CXXX.
Societatis Sapientia.

EX *Decem côálita Doctoribus Societas,*
Prima illius radix laureata,
Fundamentum sunt Cathedræ,
Infantiles fascias Toga fecit Doctoralis.
Postmodum facta,
Athenæ Evangelicæ (*a*) Gloria Disciplinarum (*b*)
Armarium Sacrum scientiarum (*c*) Schola universalis (*c*)
Spongia Sacra Eruditionum (*c*) Imago gloriosa dotum (*c*)

(a) *Hortens Paravisinus.*
(b) *Puteanus.*
(c) *Ignatius de Perez tom 4. quadrag.*

Tan-

Tandem immensus Doctorum Fasciculus: (*d*)
Hic ille Ordo est,
Ne dubites ex integro Minervæ sacrum,
Ex quo innumeri viri omni scientiarum genere instructi,
Tanquam ex equo Troiano, prodierunt, (*e*)
Ut ephippiatam refrænarent Hæresim.
Quid Bibliothecas una Societate plenas memorem? (*f*)
Nihil in scientiis altum est,
Ultra quod calamis non evolaverint:
Nihil profundum, quod non exhauserint:
Nihil obscurum, quod vel atramento non illustrarint:
Doctus eorum sudor delet errores Hæresum,
Arenam focillat literariam, ut in laureas revirescat:
Venenosis medetur cerebris, ut exonerent insaniā.
Ex sola hac Religione
Tot, ac tam eminentes scripsêre Magistri:
Etiam in favorem Virginis sine macula Conceptæ,
Ut illi soli sufficerent, ad faciendam illam plusquam probabilem sententiam. (*g*)
Unde DEIpara gratias egit, & dedit Suarezio,

(d) Ludov. de Oliva Dominicanus.

(e) Stanislaus Karnkow Archiep. Gnes. ad Card. Baronium.

(f) Hist. Pontificum.

(g) Philippus Bernal Præmonstr. pag. 46. Discurs.

Pro primi instantis defensa Gratiæ.
Eximium Doctorem, & alterum fecit ævi sui Augustinum,
Quod ille Virginem á labe exemptam,
Et ab origine Augustam declararet.
De reliquo:
Liberæ sunt in Societate scientiæ,
Sed tamen Societatis Necessariæ:
Vocum est Synonymia,
Societas JESV, & sapientiæ Societas:
Connectuntur invicem, nec se dividunt:
Vel è Galliis discedente hoc Ordine',
Orphanæ relinqui non poterant Musæ,
Quin abirent Exilii Sociæ: (*h*)
Reverti non poterat in Galliam Societas,
Quin Musarum reverteretur satellitium. (*h*)
Sic uno veluti vivunt spiritu & dependent invicem.
Societas per sapientiam, per Societatem sapientia.
Si non excæcata es,
Invida lege fama;
Si non surda
Audi;
Quos uterq; mundus Doctores legat.
Quos audiat. ELO-

(h) *HenricusIV Reg Gall ad Proceres Jmago Soc. 13. c. 4.*

ELOGIUM CXXXI.
Societas JESU Apotheosi consecrata.

AN multi è Societate JESU Apothèósim meruerint,
Quisquis dubitas, fastos Ecclesiarum consule;
E fastis, miracula collige
E miraculis, prodigiosas virtutes
E virtutibus, privatam infer Sanctitatem, & publicam.
Sed quia difficiliùs, est nunc appellari Sanctum quàm fieri:
Novem duntaxàt Beatitudines Societas complectitur,
Plures quàm numerat Evangelium. (a)
Vel ipsum Patriarchæ Jgnatii cadaver habet cælum:
Singuli in tumba cineres patuere stellis coronati:
Cùmq; aliorum vertices sideribus coronentur,
Forsan quælibet Lojolæi corporis atomus hoc decus meruit,
Quod cæterorum meruere capita.
Franciscus Xaverius, ut laborum mercedem reciperet,

(a) Matt. 5.

Ab Jndiis dexteram misit in Latium,
Et palmam apprehendit.
Franciscus Borgia Ducalem Mytram excussit vertice,
Ut daret beatis locum radiis:
Quater, & vigesies quotidie mortem meditatus,
Quater & vigesies quotidie mortuus,
Et toties iterum prodigiosè redivivus,
Aliis non indiguit ad Apothèósim miraculis,
Quàm, quòd esset & *Principum miraculum*:
Et quater ac vigesies prodigiosus revivisceret.
Tres Sanguine bulliunt Martyres & Societatem purpurant,
Paulus Michi, Jòánnes Gotho, Iacobus Chisai.
In Japone nati pro Japone mortui,
Socii JESU etiam crucifixi,
In cruces acti, & hastis transacti,
Tribus post mortem illustribus donati columnis
Cælestis Triumphi Testibus.
Beati: Stanislaus Rostka, & Aloysius Gonzaga
Duo Religionis sidera, & siderum lux,
AdhucHónoris meridiē expectant,& illosHonor,
Quàmvis tot meritis fulgurent, &prodigiis,
Ut si mutua crederent aliis, & se imprimerent,
Sexcentis ad Apothèósim sufficerent,

In

In aliquo alio sibi deficiunt.
Ioannis Francisci Regis Beatificatio
Nostrum beavit sæculum :
Habet Divus hic separatum à me elogium,
Me in elogio ;
Manum à tabula removeo,
Ne iterum defectuosam artem pingam, & artificem.
Forsan paucos adeò Divos Societati exprobras
O Fama !
Sunt Plures,
Qui & lacrymis, & Sanguine Albo Beatorum se inscriberent ;
Sed & Romanum, Græcumq; Martyrologium esset brevius,
Si in hæc tempora Sancti incidissent.

ELOGIUM CXXXII.

Societas JESU Martyrio coronata.

NUlla ferè Hæresum cæcitas est,
Quam Socii JESU sanguine non illustraverint:
Nulla ferociit Barbaries,
Quam non cicurârint sanguine:
Nullibi nova stetit Ecclesia,
Quam suis cædibus non ædificaverint.
Triumphale Agmen ducit
Primus Societatis Triumphus
Antonius Criminalis:
Primus Jndias cruore baptizavit;
Et in sociis accendit sitim prælii.
Sequitur occisus pro Christo exercitus,
Et adhuc propugnat fidem:
Utrumq; Orbem decoris implet exuviis,
Et in quocunq; Regno cecidit, Regnum tenet.
Omnibus oppugnatus elementis, nec victus:
Omnibus tentatus catastis, nec fractus:

Uni-

Universas exegit mortes, & lassavit carnifices,
Si effusus sanguis in alveum conflueret,
Faceret mare rubrum.
Quidquid infans Ecclesia per singulas ætates
Usq; ad Beatum Jgnatii sæculum pertulit:
Id ferè totum Societas JESU
Idololatrarum furore,
Hæreticorum rabie,
Sceleratorum perfidiâ,
Divinæ fidei;
Orthodoxæ veritatis,
Virtutis causâ
Toleravit.
Imò si proficit in dies erebi ingènium;
Apud Japonas, Hieroqueos, Monomotapas,
Ea perpessi sunt è Societate Apostoli,
Quæ nec Fcclesia in aliis adoravit,
Nec Fama posse hominem pati crederet,
Nec cælum similem aliàs lanienam coronavit.
Pœnam damni excipias:
Integrum Apostolici Viri infernum fatigarunt.
Numerum confundit multitudo,
Catastarum diversitas discerpit ordinem,
Crudelitas carnificum, mentem & calamum emovet.

Suffi-

Sufficiens esset exercitus, & validus,
Si decorum cruenta clade campum evolverem.
Alia se se acies explicat pallida:
Innumeri prodeunt Heròés cælo violenti violento.
Per pestilentem àéra superos penetrarunt,
Tunc afflati DEO, cum tabo.
Servierunt mortibus alienis, & immortalitati propriæ.
Brevem illis vitam cælum rapuit,
Ut æternam daret.
Invida applaude Fama:
Tot Jesuitæ perierunt:
Sed ipsimet nobis applaudimus,
Si tali causa perire licet.
Te servent superi,
Vt causa Tui pereamus.

ELOGIUM CXXXIII.
Societatis JESU Honor.

EXcludit Honores Societas, & ejurat,
Ne se excludat sibi.

Mavult

Mavult carere Infulis, ne careat virtutibus insulatis,
Et viris Infulandis.
Avarum sidus est Dignitas,
Quacunq; rimâ immitteret radium;
Per Religionis portam non atomos extraheret,
Sed Culmina.
Delicatus est & Honoris appetitus,
Pedo, velut uncino, decerperet poma,
In quibus plus esset Gratiarum.
Unde
Concham Jgnatius suum esse Ordinem voluit,
Sed nunquam gemmis spoliatam.
Utilitatem Tuam collig o Ecclesiae!
Malunt esse JESU Socii Tua manus,
Vel Pes Evangelii,
Quàm Frons, vel Gena delicatior.
Congruentiùs Vaticano:
Ut hæc Fulcra & Bases habeat,
Quibus supremi Apices innitantur.
Securiùs & suæ saluti consulit Societas,
Si refugit in pinnacula Templorum, & præcipitia elevari.
Supremæ tamen Potestatis imperio
Nigram mutârunt Togam in purpuram

Creati è Societate JESU Cardinales octo.
Quid egerint in emolumentum Ecclesiæ & Orbis universi ignorat nemo,
Nisì qui ignorat Ecclesiæ Historiam, & Ecclesiám;
Nisì, qui nescit Totius Annales mundi,
Vel alphabeta literarum necdum didicit.
In involucro purpuras exponit pagina,
Quia non jactat, quod ejurat.
Assumpti sunt etiam ex hoc Ordine nonnulli Patriarchæ, & plures Episcopi,
Sed honor, labor fuit, non laborum præmium:
Nec Tænia sudorem tersit, sed expressit.
Dati sunt Diœcesibus, quas fundarent primi,
Illius Ecclesiæ Præsides, ubi vix mundus esse sperabatur.
Æthiopia, & Barbaria eorum ovile fuit lupis plenum,
Sed cùm illi pericula totonderant, non vellera,
Sanctiore Metamorphosi
Lupos in agnos transmutarunt.
Invida vide Fama,
Vel in uno hoc puncto,
non est,
Quod Societati invideas.

ELO-

ELOGIUM CXXXIV.
Societatis JESU
Hostibus Eucharisticon.

PUlchras damus Gratias, cum pleriq; detis furias, Mecænates Faventissimi.

Virtutem nostram laceratis? apprecamur integerrimam:

Sapientiam capite minuitis? nobiscum capita permutate :

Famam discerpitis ? si aptè congruet, vobis assuite.

Dum stamus,
Per nostros vertices in altum assurgite :
Dum laboramus,
Labores manuum nostrarum comedite:
Dum scribimus,
Nostris evolate Calamis:
Cum disputamus & concludimus,
Theatrales plausus colligite:
Dum Ecclesiam, & Diœceses fundamus,
Præsules estote, & Præsides,

Dum pro Romana ſede, & fide exulamus;
In noſtris etiam ſedete domibus;
Dum pro Chriſto morimur,
Si piget nobis commori, Vivite.
Famoſos infamium libellos non proſcribimus:
Si per Cælum licet, injurias foro non admittimus:
Famæ Crucifixoribus, inclinato etiam Capite annuimus.

Ergo

Triumphate Hoſtes, noſtris coronati manubiis:
Sæcula Vincite, noſtra immortalitate ſemper vividi:
Purpuras induite, noſtris purpurati prius lacrymis.

Utiq;

Ni fuiſſet Heros Jgnatius, caruiſſet hoſtibus:
Ni Pampelonem ſervare voluiſſet, nullo impeteretur ictu:
Ni fidelem Regi, & Patriæ egiſſet militem, vitâſſet jacula.
Sequitur Generalem Lojolam ſua legio,
Et in obvios hoſtes incidit:
Hos vincit, dum vincitur:
Ictum regerit, dum non repercutit:

Spoli-

Spolia colligit, dum fit ſpolium.
Applaudimus victi Victoribus:
Rependimus Amore Odia:
Contemptus de genu veneramur,
Theandricos eſſe novimus,
Quia priùs in Chriſto conſecratos.
Unde ſi etiam placet,
Auxiliarem orcum elicite:
Quidquid libebit, Dicite:
Quidquid placebit, Facite:
Sed tamen
Mendaces Dicite,
Invidi Facite.

ELOGIUM CXXXV.

Societatis JESU *Amicis, & Benefactoribus* *Euchariſticon.*

HÆc Elogii Echo eſt, non Elogium:
Confuſus infinitarum linguarum ſonus,
Non articulata Panegyris:
Inintelligibilis Omnium Nationum ſermo, & inauditus,
Non Euchariſticon, non encomium.
Audire me audio,
(Nec falsò aures tinniunt)
Qualis ille ſit univerſi terrarum Orbis fragor,
Dum totus Orbis Orator laudat:
Quàm varia tot Cathedrarum Pentecoſte,
Dum omni ingenio,
Omni idiomate,
Et arte omni,
Explicat ſe Gratitudo Patronis;
Et facit Orbi coëxtenſos.

Repli-

Replicamus singulorum affectus,
Uno nec loco claudimus:
Ex Europa in Asiam, ex Asia in Americam,
De Regno in Regnum, de Urbe in Urbem
Nobiscum Vestra transeunt Beneficia,
Et audiunt Elogium inter Sinas, Sinicum,
Inter Japonas Japonicum,
Inter Æthiopes Æthiopicum,
In Perside Persicum,
In Turcia Turcicum
Ubicunq; Homines sunt, humanissimum.
Diversa hæc Rhetorica, & una:
Multiplex acroáma, nec dissonum:
Varius styli genius,
Mutata vocum forma,
Sed tamen in multiplici Iride,
Unum pingitur fædus animorum.
Nemo unquam huic Religioni afficitur,
Quin Orbem integrum sibi agglutinet;
Nemo Beneficum se vel in Europa exhibuit,
Quin Beneficio reliquæ mundi partes figant osculum.
Jstud proprium est huic Ordini:
Quidquid vel una illi dextra porrigit,
Infinitæ cognoscunt Munus Dextræ, dum vel una recipit.

Eodem

Eodem tumultu Tibi se proferet Gratitudo,
Hujus libelli Mecænas Jllustrissime:
In utroq; Orbe Te Amicum Societas JESU
Cultu, fide & affectu proferet
Dum experimur omnes,
Unus Asciæ cado victima.

Ad Ordinum Religiosissimos Proceres

Et

Lectorem

Auctoris Protestatio.

TYpus hic umbra Religionum est, & vestra Patres Religiosissimi. Umbra tamen Elogium esse solet imaginum, si apta: objurgat artem, si ineptit. Intra me habito, & calami mei vires novi: Icari certè fabulam, in partem traho Historiæ: præsumpsi ad astra niti, interim sacerrimæ Majorum Ceræ, ausum in discrimen conjecerunt. Fidem res habet publicam, eam esse Religiosorum Ordinum gloriam, ut eos commendare otiosum sit otium, & labor aquam lavans. Ipsimet Religionum Alumni jam sua erexêre sacraria: ampliùs hæ Novi Testamenti Arcæ sine Ozæ periculo nequeunt erigi, & levari, cùm stent immobiles. Divi etiam Pátriarchæ magis eloquentiam amant cordis, quàm oris: & laudantur suspiriis gloriosiùs, quàm calami per chartam strepitu. Non igitur spe aliqua promittente huic negotio me Vani-

tas implicuit: illud præmium laboris satago ; quod intendunt, qui orant Patrem in abscondito. In eum duntaxat finem , librum hunc compilavi, ut sit aliquid , quod mortuo Capiti meo supponatur. Itaq; de affectu scriptoris nemo dubitet: aliud volui, quàm ut papyrus hæc luendum a me alat ignem.

Non quidem ambio , sed tamen fidem obligo, ea me scripsisse , quæ a probatis accepi Authoribus; eos argumentis non apposui, quòd sua Sparta cuiq; Spartano nota sit. Reliquos ad lectionem librorum urgeo, quærant Studiosiùs ut convincant oppositum. A nonnullis vulgariter informatus , talem me exhibui , qualem voluere: aliqui informare detrectârunt, sat habent gloriæ , quòd Elogium excesserint. Nemini tamen amicum me subtraxi: nec quidquam rapui, dum tacui. Sunt gemmæ in Gangis sinu, quamvis latent; est & auro pretium, eminetq; sublimiùs, dum ingentibus absconditur in cunis. Ordo Ordinum me confundit, & locus conicit in angustias: Sed me revoco mihi: ordinem Ordinibus reddo , quem in impressis legi authoribus. Neq; lusi hic latrunculis, quorum interest, quo stent loco. *Minimè etiam refert, quis in originis numero, atq; ordine collocetur.* (a) Cùm & eandem mensuram Colossi ha-

(a) S. Hilar: Ep: Comment in Evang. *Liber generationis D. N. J. C filii David, filii Abraham.*

si habeant, ſive ſtatuantur in plano, ſive in montium gibbo. Quin majori ſol apparet ſphæra, dum eſt in declivi.

Styli præcipuè, & ſenſuum hebetudo me penetrat nervoſiùs: proſcindi igitur patiar ſed ab ijs, quorum gladius in acie Pharſalica egit aliquid: ignavos eorum contemno ictus, quorum Machæra intra ſolam acumen vaginam jactat, & in Famam proſilit. Quanquàm proderit *Vmbris*, Si ab humano judicentur Die: accipient lucem, quam non habent.

Vos ego deprecor Patres Religioſiſſimi: aliis balbutientem hunc Moiſen Oculis aſpicite, ubi erit radius, cornua ne putate. Tu Lector vale: ſi placet, ſtylum exere *Vmbris* oppoſitum, vel dum Principum ſolare Horologium conſicies, tamen & iſtud diſtinguent umbræ, & afficient.

FACULTAS
R. P. VISITATORIS & V. PROVINCIALIS
REINHOLDUS GERT
VISITATOR
V. PRÆPOSITUS PROVINCIALIS
Societatis JESV.
per POLONIAM.

CUm Opus, quod inſcribitur *Illuſtres Vmbræ, id eſt Principes Religiorum Patriarchæ & Religioſi Ordines &c. &c.* aliquot ejuſdem SOCIETATIS Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi factâ ab A. R. P. Noſtro Michaële Angelo, Tamburino Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur. In cujus fidem, has literas manu meâ firmatas, & ſigillo munitas dedi. Poſnaniæ 4. Februarii. 1719.

Reinholdus Gert.

APPROBATIO
Loci Ordinarii.

LIbrum, cui *Titulus Illustres Umbræ, id est Principes Religionum Patriarchæ, & Religiosi Ordines, Historico, elogiari cultu, in lucem exposita docto labore* Admodum Reverendi Patris Casimiri Wieruszewski Professoris Rhetorices Societatis JESU conscriptum; quoniam fidei Orthodoxæ, & bonis moribus, minimè adversatur, sed præclaram eruditionem, & Salutarē doctrinam in se continet, ut typo excudatur, iurisq; publici fiat, ad Spirituale Fidelium emolumentum dignum censeo. In quorum fidem manum meam appono, Datum Posnaniæ, ad Ecclesiam Cathedralē die 15. Novembris 718.

FRANCISCUS KAZNOWSKI.
Archidiaconus Psceuensis.
Judex Surrogatus Posnaniensis.

m. p.

CATALOGUS ELOGIORUM & Rerum memorabilium.

XVII.

XXXVII.

XXXVII. *Benedictus veneno petitur.*

XXXVIII. *Benedictus aram Subvertit Apollinis.*

XXXIX. *Beatissima Virgo cum Apostolis ad Benedicti tumulum.*

XL. XLI. XLII. XLIII. *Miracula Benedicti.*

XLIV. & XLV. *Honor Benedictinæ Familiæ.*

XLVI. *Sapientia Benedictinæ Familiæ.*

XLVII. *Sanctitas Benedictini Ordinis.*

XLVIII. Romualdus Camaldulensium Fundator.

XLIX. *Victoriæ Romualdi.*

L. *Ordo Camaldulensium.*

LI. *Labor Camaldulensium in Polonia.*

LII. *Tria miranda in Camaldulensibus Quies, silentium, Psalmodia.*

LIII. *Bernardus Abbas*

LIV. *Bernardum Crucifixus amplectitur.*

LV. *Bernardus Sugit Lateris Divini Cicatricem.*

LVI. *Bernardus Mariano lactatur ubere.*

LVII. *Bernardus Christi patientis instrumenmenta Complectitur.*

LVIII. *Bernardus dum Cibum sumeret, tormentum subire videbatur.*

LIX.

LIX. *Deipara Sudorem tergit Cisterciensibus in agro metentibus.*

LX. *Per Cistercienses Hispania à Mauris liberata.*

LXI. *Ordo Sancti Mauritii Regulam Bernardi habet, & Cistercii incipit Sacræ inquisitionis Tribunal. Ibidem. S. Dominicus fit Religiosus.*

LXII. *Sanctitas Cisterciensium.*

LXIII. *Excitantur Cistercienses ad Psalmodiam ab Angelo.*

LXIV. *Aqua Bernardi Cadaver abluens medica.*

LXVI. *Bruno Cartusiensium Fundator.*

LXVII. *Fundat Cartusianorum Ordinem Cum Societate JEsu arctiori vinculo Cartusia connectitur.*

LXVIII. *Ad sepulchrum Brunonis fons emanat, morbis Saluber.*

LXIX. *Elogium Cartusianæ Familiæ.*

LXX. *Idem.*

LXXI. *Dominicus Ordinis Prædicatorum.*

LXXII. *Sustentat Lateranensem Ecclesiam cum Sancto Francisco Assisinate.*

LXIX. *Mors Dominici.*

LXX pag. 158. *Ordinis Prædicatorum Sapientia. Laus Divi Thomæ & Alberti magni.*

LXXI. *Ordinis Prædicatorum Honor.*

LXXII. *Sanctitas Ordinis Prædicatorum.*

LXXIII. *Franciscus Assisinas Ordinis Minorum Fundator.*

LXXIV. *Franciscus prædicat Evangelium per se, & Minoritas.*

LXXV. *Ordinis Minorum Sapientia. Sanctus Bonaventura laudatur.*

LXXVI. *Ordinis Minorum Sapientia. Scotus laudatur.*

LXXVII. *Sanctitas Minorum Ordinis.*

LXXIII. *Honor Ordinis Minorum.*

LXXIX. *Capucinorum Religio.*

LXXX. *Bernardinus Senensis.*

LXXXI. *Ex ore concionantis Bernardini flamma prorumpit.*

LXXXII. *Stella supra Concionantem Bernardinum.*

LXXXIII. *Bernardinus lapidi impressit Vestigium.*

LXXXIV. *Bernardini invocatione Nubes tutatur Carpensium Vrbem.*

LXXXV. *Ordinis Minorum de Observantia. Sanctitas.*

LXXXVI.

CXXVI. *Ignatius Dux. Soc: JESV Prætoriani Milites.*

CXXVII. *Ignatius Apostolus, Societas IESV Apostolica.*

CXXVIII. *Ecclesiæ Societas IESV militat.*

CXXIX. *Ignatii Sanctitas & Societatis IESV.*

CXXX. *Societatis IESV sapientia.*

CXXXI. *Societas Apotheosi consecrata.*

CXXXII. *Societas IESV martyrio coronata.*

CXXXIII. *Societatis IESV Honor.*

CXXXIV. *Societatis IESV Hostibus Eucharisticon.*

CXXXV. *Societatis IESV amicis, & Benefactoribus Eucharisticon.*